

Witold Gronkowski

**De circuitu ambituque urbis
Jerusalem secundum textus
topographicos, qui in Nehemiae libro
inveniuntur**

Collectanea Theologica 15/2, 174-216

1934

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej **bazhum.muzhp.pl**, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE CIRCUITU AMBITUQUE URBIS JERUSALEM SECUNDUM TEXTUS TOPOGRAPHICOS, QUI IN NEHEMIAE LIBRO INVENIUNTUR.

Urbe Jerusalem a Babyloniiis (a. 587) capta moenia eius in circuitu destructa sunt¹⁾. Qua moenia non statim post exulum in patriam redditum reconstructa esse, sed usque ad Nehemiae tempora in statu ruinarum permansisse in libro Nehemiae plures notatur²⁾. In hoc libro enim refertur Nehemiam a rege Artaxerxe gratiam petuisse, ut sibi in Judaeam ire liceret urbis Jerusalem reaedificandae causa³⁾. Qua gratia concessa Nehemias Jerosolymas proficiscitur statimque⁴⁾ post suum huc adventum ad moenium restaurationem procedit.

Quomodo Nehemias hoc opus instituerit, in tribus eius libri capitibus narratur, cc. 2, 3, 12. Qui textus tamen non continuam nec completam huius operis relationem constituunt, sed potius modo summario describunt, quomodo Nehemias, postquam nocte ruinas muri in meridionali Jerusalem parte inspexerit (2, 11—15), eversa moenia urbisque destructa portas assiduo quinquaginta duorum dierum (6, 5) labore cum tribulibus suis instauraverit (3, 1—32) sollemniterque dedicaverit (12, 27—42).

Cum his ex diversis occasionibus circuitus urbis breviter describatur, tres hi textus summi sunt momenti in re topographica circa civitatem Hierosolymitanam versante. Ut enim notum est,

¹⁾ Cf. 2 Reg. 25, 10; 2 Chrm. 36, 19; Jer. 39, 8; 52, 14. Cf. etiam Flav. Jos. Ant. X 8, 5, N. (= editio Nieße) 146, 149; XI 5, 6; N. 161.

²⁾ 1, 3; 2, 3, 13—15 et pluries; cf. etiam Ecclci 49, 11—13.

³⁾ 2, 1 sqq.

⁴⁾ Quod temporis intervallum, quod inter Nehemiae adventum et initium refectionis operis supponendum est, vide R. Kittel, Geschichte des Volkes Israel, 3, 2, 1929, 622 sq. (In sequenti solummodo huius operis secunda pars tertii voluminis allegabitur).

usque nunc temporis inter topographos et exegetas non constat, quousque occasum solis versus ambitus urbis Jerusalem tempore exilium antecedente sese extenderit. Ut melius obiectum controversiae percipiatur, collium, quibus urbs superstruitur, naturam variasque regionis valles bene distinguamus, necesse est⁵⁾.

Hodierna urbs Jerusalem (90.503 incol.) ex duabus consistit partibus, ex nova (65.320 incol.) et antiqua (25.183 incol.) civitate⁶⁾. Nova urbis pars sese extendit ad septemtrionem et occidentem antiquae, quae excepto meridionali districto adhuc moenibus cincta est. Nobis solummodo de antiqua urbis parte agendum est.

Haec Jerosolymorum pars duabus profundis vallibus⁷⁾ ita cingitur, ut solummodo in latere boreali cum regione circumiacente cohaereat. Altera harum vallium a solis ortu urbem Jerusalem a monte Olivarum separat. Quae profunda vallis in S. Scriptura torrens seu convallis (נַּהֲרָה) Cedron appellatur, apud indigenos autem uadi sitti maryam (vallis Dominae meae Mariae) audit. In fundo huius vallis sub clivo Ophel invenitur unicus Jerosolymorum, cui haec appellatio competit, fons, cayn sitti maryam (fons Dominae meae Mariae) vel cayn umm eldaradj (fons graduum) appellatus. Altera vallis ab occidente et meridie antiquam civitatem cingit et prope ad puteum bir cyyub (puteus Job) dictum sese cum valle Cedron iungit. Quae secunda vallis (נַּהֲרָה) communiter haec esse

⁵⁾ Cf. H. G u t h e, Bibelatlas², 1926, tab. 2, I.

⁶⁾ Cf. G. D a l m a n, Jerusalem und sein Gelände, in Schriften des Deutschen Palästina-Instituts, 4 Band, 1930, tab. in fine voluminis; — L. D r e s s a i r e, Jerusalem à travers les siècles, sine indicatione anni productionis (1931?), tab. post. p. 520 et 530.

⁷⁾ Claritatis causa hic iam notetur linguam hebraicam tria possidere vocabula, quae, quamquam diversa exprimant, latine una voce „vallis“ vertuntur, nempe נַּהֲרָה, עַמְּקָה, בֵּין הַמִּזְרָחָה. Tria haec vocabula hoc commune habent, quod vallem exprimunt, quae ad modum fossae fissura collum vel montium exorta est. Voce נַּהֲרָה iusuper exprimitur, quod per fundum huiusmodi vallis ne minimus quidem rivulus fluat. Quod tempore pluviarum aquae in huiusmodi vallem confluant, nil facit ad significationem huius vocis. Vocabulo עַמְּקָה designatur amplior vallis depressa et longe lateque patens. Vox בֵּין hoc distingnitur a נַּהֲרָה et עַמְּקָה, quod ea designatur vallis cum rivo vel torrente sive perenniter scaturiente sive per aestatem (ex parte vel ex toto) evanescente. Cf. M. H a g e n, Realia Biblica, in Cursus Scripturæ Sacrae (= CSS), 1914, 375, sub voce „Valles“. In lingua arabica nunc usitata vocibus نَهْرٌ et عَمَقَة vocabulum unum, uadi, correspondet. Cf. Dalman,

dicitur, quae in sacris libris vallis Hinnom⁸⁾), ab indigenis autem in parte superiore uadi el-mēs et in parte inferiore uadi er-rababe nominatur. Quae superficies sic ex tribus partibus delimitata tercia valle (גַּתְאָה) in duos colles, occidentalem nempe et orientalem, dividitur. Occidentalis collis et maior et altior († 777 m) est quam orientalis († 744) in area templi). Valli huic, quae olim multo profundior erat, a Flavio Josepho nomen Tyropoeon impositum est⁹⁾. Ab incolis haec vall's nomine communi „el-uad“ = „vallis“ designatur.

Controversia de ambitu Jerusalem circa hoc versatur, utrum collis occidentalis iam ante exilium intra moenia situs fuerit, necne¹⁰⁾. Aetate Christi civitatem Hierosolymitanam ambos colles, orientalem et occidentalem, occupasse omnino certum est. Res, de qua controversia movetur, est, utrum, uti Flavius Josephus¹¹⁾ refert, iam ex tempore Davidis et Salomonis, quorum splendidissima regna maxime tali augmento urbis convenire videntur, Jerusalem moeni-

op. cit., 7 sq. Voci פַּמֵּעַ correspondet in lingua arabica vocabulum 'umk. Quod vocabulum tamen ab incolis Palaestinae non adhibetur. Loco eius adhibetur vox bak'a vel diminutivum eius. ibke'a. Cf. Dalmān, ibidem, 10.

⁸⁾ Hebr. aut "גַּתְאָה" (גַּתְאָה בֶּן הַיִּם) aut "גַּתְאָה בֶּן הַיִּם" (גַּתְאָה בֶּן הַיִּם) Neh. 11, 30 (om. tamen in LXX). LXX vertunt φάραγξ ὄνόμ. (B), φ. Εννόω (A); in Jos. 18, 16 tamen B = Γαὶ εὐνα, A = Γαὶ οὐνόμ.; in 2 Chron. 33, 6 γὰς βανὴ Εννόμ. (B), γῆ Βεενόμ. (A). Vulg. in Jos. 18, 16 (solummodo hic): vallis filiorum Ennom; Jer. 2, 23 vallis Hinnom simpliciter ut הַגַּתְאָה („vallis“, cum art.) designatur.

⁹⁾ Ant. XV 11, 5; N. 410; Bell. Jud. V 4, 1; N. 136, 141: ἡ τῶν τυροποιῶν φάραγξ = „vallis caseos conficientium“. Quomodo Fl. Josephus adhanc designationem pervenerit, varie ab auctoribus explicatur. Halévy (Journal asiatique, 1881, p. 249 sqq.) eo innixus, quod ad meridiem huius vallis Neh. 2, 13; 3, 14; 12, 31 „porta stercoris“ (שַׁעַר הַאֲשָׁפִית) commemoratur, supponit vallem nomen stercoris habuisse. Confusione facta inter אֲשָׁפִית (Neh. 3, 13: שַׁפְתָּה et שַׁפְתָּה) et שַׁפְתָּה (שְׁפָתָק λεγ. 2 Sam. 17, 29 = caseus) Josephus ex nomine „vallis stercoris“ appellationem φάραγξ τῶν τυροποιῶν derivasset. O. Procksch, Das Jerusalem Jesajas, in Palästina-Jahrbuch (= PIB), 26 (1930), 26, n. 3, hanc explicationem suam fecit. Dalmān, op. cit., 197 sq., e contra eam non admittit. Dalmān censet vallem potius חַרְמָה גַּתְאָה (aram hilleta deturpa = „vallis turpitudinis“) appellatam fuisse, quia in eam (cf. nomen „portae stercoris“) immunditia ex urbe eiici solebant. Confusione facta inter חַרְמָה et שַׁפְתָּה Fl. Josephus ad appellationem Tyropoeum pervenisset.

¹⁰⁾ Cf. Procksch, loc. cit., 16, 19.

¹¹⁾ Bell. Jud. V 4, 2; N. 142, 199.

bus suis occidentalem collem comprehendenterit, necne. Ad hanc quaestionem affirmative respondendum esse quam plurimi ex aucto-ribus, qui hac de re nostris temporibus egerunt, opinantur. Qui auctores, quibus C. Schick¹²⁾, H. Vincent¹³⁾, L. Fonck¹⁴⁾, M. Ha- gen¹⁵⁾, B. Stade¹⁶⁾, H. Guthe¹⁷⁾, I. Benzinger¹⁸⁾, R. Weill¹⁹⁾, I. Vangervorst²⁰⁾, G. Dalman²¹⁾, O. Procksch²²⁾ et multi alii²³⁾ adnumerandi sunt, in favorem suae sententiae Nehemiae textus topographicos invocant. Non desunt tamen auctores — et numerus eorum in diem crescit, — qui contrariam defendunt senten- tiam. Inter propugnatores huius opinionis, praetermissis nonnullis praecursoribus saeculi elapsi²⁴⁾, praesertim J. Germer - Du-

¹²⁾ Das Thal tor im alten Jerusalem, in Zeitschrift des Deutschen Pa- lästina Vereins (= ZDPV), 13 (1890), 26–36; Das Stadtviertel der Grabes- kirche, der Lauf der zweiten Mauer Jerusalems und die Bauten Constantins am heiligen Grabe, ibidem, 8 (1885), 259–273 (praesertim: Der Lauf der zweiten Mauer Jerusalems, 266 ad 273, et tab. VIII (in fine voluminis); Nehemia's Mauerbau in Jerusalem, ibidem, 14 (1891), 31–62.

¹³⁾ Les murs de Jérusalem d'après Néhemie, notes de critique textuelle, in Revue Biblique (= RB), nova series 1 (1904), 56–74; tab. in p. 59.

¹⁴⁾ Art. Jerusalem, in M. H a g e n, Lexicon Biblicum (CSS), 2, 1907, 664–713.

¹⁵⁾ Atlas Biblicus (CSS), 1907, tab. 22.

¹⁶⁾ Geschichte des Volkes Israel, 2, 1888, 165 sqq.

¹⁷⁾ Bibelatlas, tab. 3, II; 4, II; 7, I.

¹⁸⁾ Hebräische Archäologie³, 1927, 29, 19.

¹⁹⁾ La cité de David, 1920, tab. in p. 7, et 63–70.

²⁰⁾ Israel et l'ancien Orient², 1929, tab. in p. 206 (reproductio tab. ex H. Vincent, Les murs etc., supra in n. 2 cit.).

²¹⁾ Op. cit., tab. in fine vol.

²²⁾ Ibidem, 12–32.

²³⁾ Cf. C. Z i m m e r m a n n, Karten und Pläne zur Topographie des alten Jerusalem, 1876 (praesertim tab. IV). E. Bertheau, Die Bücher Esra, Nehemia und Ester erklärt, in Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Alten Testament, 1862, ² 1887 (secundam editionem V. Ryssel curavit); C. Siegfried, Esra, Nehemia und Esther, in Handkommentar zum Alten Testament, I 6, 2, 1901. A. Bertholet, Die Bücher Esra-Nehemia, in Kurzer Hand-Commentar zum Alten Testament, 1902. P. Riessler, Die Tore und Mauern Jerusalems unter Nehemias, in Biblische Zeitschrift, 4 (1906), 374–356. C. M o m m e r t, Der Mauerbau Nehemias, in Topographie des alten Jerusalem, pars IV, 1907, 1–76. F. K i r m i s, Die Lage der alten Davidstadt und die Mauern des alten Jerusalem, eine exegetisch-topogra- phische Studie, 1919.

²⁴⁾ R. Smith, in Encyclopaedia Britannica⁹, 13 (1881), 649. (In re- centioribus editionibus huius operis loco articuli a Smith conscripto alias „Collectanea Theologica“ — 1934.

rand²⁵⁾, A. Alt²⁶⁾, G. Duncan²⁷⁾ J. Hempel²⁸⁾, R. Kittel²⁹⁾, L. Dres-
saire³⁰⁾ nominari debent. Qui auctores pariter textibus topographicis
Nehemiae innituntur, cum opinionem defendant Jerusalem tempore
exilium praecedente solummodo collem orientalem occupasse.

Quae cum ita sint, manifestum est textus topographicos Nehemiae, quamquam merito adcenceantur illis, qui omnibus profusi tractant de urbis Jerusalem circuitu, non praebere illam claritatem, quam exegeta, ut adesset, optaverit. Neque fossiones archaeologicae ultimis decenniis in quibusdam Jerosolymorum partibus peractae obscuritates dissipaverunt. Quapropter non inutile erit textus topographicos libri Nehemiae novo subiicere examini, ut eruatur, quid de urbis Hierosolymitanae ambitu ex tempore Nehemiae tenendum sit.

I. Neh. 2, 11—15³¹⁾.

Ut ordo chronologicus servetur, primo loco Neh. 2, 11—15 examinandus est. His in versibus breviter narratur, quomodo Nehemias ante refectionis opus coeptum tribus diebus post unum Jerosolymas adventum eversa moenia cum paucis sociis in meridionali urbis parte inspexerit.

Locus, a quo Nehemias ad hanc inspectionem profectus sit, non indicatur. Cum tamen v. 13 affirmetur Nehemiam per portam vallis „egressum esse“, manifestum est eum profectum esse ex aliquo loco, qui intra urbem situs erat. A porta vallis³²⁾ Nehemias

insertus est, in quo contraria opinio defenditur). Cf. etiam Oort, *Atlas voor Bijbelsche en Kerkelijke Geechiedenis*, 1884, 25 sqq.

²⁵⁾ *Topographie de Jérusalem* in *Echos d'Orient*, 6 (1903), 5—16, 161—174; *Topographie de l'ancienne Jérusalem*, 1912.

²⁶⁾ *Jerusalems Aufstieg*, in *Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, (= ZDMG), nova series 4 (1925), 1—19; *Das Taltor von Jerusalem*, in PIB, 24 (1928), 74—98.

²⁷⁾ *Millo and the City of David*, in *Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft* (ZAW), nova series 1 (1924), 222—244.

²⁸⁾ *Chronik*, in ZAW, 5 (1928), 64. Cf. etiam Hertzberg, in *Religion in Geschichte und Gegenwart*, 3 (1929), 84.

²⁹⁾ Op. cit., 169.

³⁰⁾ Op. cit., 158—168.

³¹⁾ Cf. H. Vincent, loc. cit., 58 sqq.

³²⁾ In textu hebr, habetur: בְּשַׁעַר הָגִיא לִילָה = per portam vallis, noctu. Codices B et X praebent lectionem: ἐν πόλη γεωγάλα. Verbum γω-

mias se dirigit fontem draconis³³⁾ versus³⁴⁾ ad portam stercoris. Iter faciendo Nehemias attente considerat statum destructionis³⁵⁾ moenium portarumque.

A porta stercoris Nehemias iter suum continuasse dicitur in directione ad portam fontis et piscinam regis. Hoc ultimo in loco descendere debuit de asino, cuius in dorso sedens hucusque vebatur, quia huiusmodi iter ob nimiam probabiliter copiam ruinorum ulterius impossibile erat. Qua propter a piscina regis Nehemias itinere pedestri ascendendo in torrente (שָׁנָה)³⁶⁾ eversa moenia examinat.

Significatio v. 15 b, quo primus Nehemiae textus topographicus concluditur, est obscura. Obscuritas huius versus in eo consistit, quod non constat, quomodo locutio וְאַבּוֹא וְאַשּׁוֹב vertenda sit. Quae locutio enim dupli modo intelligi potest. Si verba, ex quibus componitur, ut duo distincta verba, quorum alterutrum suam propriam vim habet, considerantur, versus in quaestione cum Vulgata vertendus erit: „et reversus (id est, redeundo) directione mutata

ληγάκι habet, ut V i n c e n t, ibidem, notat, aliquam similitudinem cum verbo aram. אַבּוֹא, quod significat „locus aqua irrigatus“. Cf. Ct. 4, 12, ubi legitur נָהָר = fons (LXX: γάρ = hortus), et Is. 48, 18; Jer. 5, 22; Ez. 26, 3: גִּיאִים = undae. Cum autem Neh. 2, 15, ubi eadem (sine לִילָה tamen) locutio legitur, LXX vertant: ἐν πόλῃ τῆς φάραγγος, γωληγάκι non potest esse nisi deformata transcriptio verborum λιλάχ. In Peš. habetur lectio „per portam torrentis, nocti“.

³³⁾ עַיִן הַתְּנִינִי; LXX: πηγής τῶν συκῶν = Ἀγνίς. Luciani recensio quae dicitur (editio de Lagarde, 1883) praebet tamen πηγὴ τοῦ δράκοντος; versio Armenica: „terra ficuum“ (cod. 93 tamen: γῆς [ex πη | γῆς?] τοῦ δράκοντος). Quamquam lectio πηγὴ τῶν συκῶν satis sit arridens, textus massoreticus ut-pote difficilior retinendus esse videtur.

³⁴⁾ בְּנֵי עַיִן הַתְּנִינִי. Vulg. vertit „ante fontem“. LXX (BRA) habent πρόστομα. Nihilominus S w e t e, The Old Testament in Greek², 2 (1930), posuit in textu: πρόστομα πηγῆς.

³⁵⁾ In textu hebr. leguntur verba הַמְפֻרְצִים seiunctim et tamen sine □ massoretæ indicant textum hoc in loco aliquam difficultatem præbere. LXX: ἐν τῷ τείχει... ἐν αὐτοῖς (הַמְפֻרְצִים) καθαιροῦσσι (= פְּרַצִּים). Luc. rec.: τείχεσσι.. τοῖς κατεπασμένοις (= הַמְפֻרְצִים, cur art!, cf. Neh. 1, 3). Cum neutra harum lectionum viam, qua difficultas solvi possit, indicet, varii auctores varias coniecturas correctionesque proposuerunt. Cf. V i n c e n t, ibidem. Nulla tamen earum satisfacit. Cum non obstante difficultate constet hoc in textu agi de destructionis statu moenia, necesse non est, ut magis insistamus.

³⁶⁾ Relate ad expressionem „ascendendo in torrente“ hoc notetur. Nehemias nocte moenia inspicit. Examen, cui moenia subiicit, superficiale

via, qua) veni (sc. rursus ad portam vallis). Verbum „*sub*“ adhiberi in sensu „mutata directione redire“ ex Jos. 19, 12, 27, 29 etc. patet. Si e contra admittitur duobus his vocabulis simul sumptis unam solam ideam exprimi — „*sub*“ in connexione cum alio verbo adverbialiter adhibetur in Gen. 26, 18; 2 Reg. 1, 13 etc., — locutio, de qua agitur, vertenda erit³⁷⁾: „et veni (continuando iter in eadem directione) rursus (vel reveni) ad portam vallis. Per se altera versio possibilis est. Cum tamen portae, iuxta quas Nehemias, si circuitum totius urbis fecisset, iter facere deberet, hic non nominentur, prima versio (et reversus veni) nobis probabilior esse videtur.

His admissis significatio v. 15 b est Nehemiam, postquam per aliquod tempus in torrente ascendendo moenia examinavit, ad piscinam regis reversum eadem via, qua venerit, iuxta portas fontis et stercoris ad portam vallis rediisse et per hanc portam in urbem revenisse.

De situ autem singularum portarum, quae hoc in textu commemorantur, claritatis causa sermo erit cum ceteris portis, quae in Nehemiae libro nominantur.

II. Neh. 3, 1—32.

Secundus Nehemiae textus topographicus, 3, 1—32 est multo completiior primo. Hic enim occasione descriptionis moenium reflectionis totus urbis Jerusalem circuitus modo summario delineatur³⁸⁾. Moenium instauratio autem hoc modo statuta est. Post nocturnam inspectionem Nehemias tribibus suis notum fecit se approbatum a rege Persarum habere propositum eorum cum auxilio muros patriae civitatis reaedicandi. Cui consilio Judaei assensum dederunt sese exhortantes, ut sine mora operis statuti initium fieret³⁹⁾.

dici nequit, cum in v. 156 (cf. v. 13) expresse notetur eum attente (שׁב) moenia considerasse. Quapropter expressio: „ascendendo in torrente“ ita intelligi non potest, ac si Nehemias in fundo vallis procedens moenia in margine collis exstructa ex longinquō inspexisset. Unice possibilis huius expressionis significatio est Nehemiam, cum clivum collis ad vallem adiacentis simul unum ex eius lateribus constituat, in margine collis ascendendo moenia examinasse.

³⁷⁾ Cf. Vincent, loc. cit., 61.

³⁸⁾ Relationem 3, 1—32 summariam et insuper systematicam esse ex eius analysi et comparatione cum 3, 38; 6, 2. 7, 1 patet. Praeterea notandum est textum huius relationis pluribus in locis corruptum esse. — Cf. Vincent, loc. cit., 61 sqq.

³⁹⁾ Neh. 2, 16—18.

Quapropter urbis circuitus, ne moenium restauratio sine ordine fieret, in quadraginta duas variae longitudinis sectiones divisus est.

1. Porta Gregis.

Prima, quae nominatur, sectio sacerdotibus assignata est, 3, 1. Quae sectio sese extendebat a porta gregis portam piscium versus usque ad turres Me'ah et Hanan'el⁴⁰⁾.

Ad situm autem portae gregis⁴¹⁾ quod attinet, auctores recentes⁴²⁾ in eo conveniunt, quod porta haec in boreali urbis muro supponenda est, et quidem prope ad hunc locum, quo hodie porta a S. Stephano dicta invenitur⁴³⁾.

Portam gregis in vicinia templi sitam fuisse non absque ulla probabilitate ex eo infertur, quod sacerdotibus ad construendum assignata est. Praeterea in favorem huius opinionis et hoc afferre licet, quod nomen gregis probabiliter hac ex ratione ei impositum est, quia oves, quae, uti notum est, inter animalia ad sacrificia destinata primum tenebant locum; hac porta in templum adduci solebant⁴⁴⁾. Portam gregis autem ad septemtrionem areae templi⁴⁵⁾

⁴⁰⁾ Relate ad textum v. 1^b varii auctores varias emendationes proponunt. Quae cum autem minoris sint momenti in nostra re, de iis, ut tractemus, necesse non est. Gravioris tamen momenti est, quod plures auctores, H. Vincent, La tour de Méa (Néhém. III, 1; XII, 39) in RB 8 (1899), 582—589, sequentes, existentiam turris נַחֲמָד (3, 1^b et 12, 39) in dubium revocent. Etiamsi concedendum sit modum, quo haec turris in v. 1^b introducitur, ansam suspicioni praebere, tamen omnibus bene perpensis de inauthentia locorum, in quibus de hac turre sermo est, constare non videtur. Ex Jer. 31, 88; Zach. 14, 10, in quibus sola turris Hanan'el nominatur, nihil contra existentiam turris Me'ah inferre licet, quia haec ultima turris utpote intra turrim Hanan'el et portam anguli sita his in locis commemorari non debuit. Cf. Dalmat, op. cit., 115.

⁴¹⁾ Extra Nehemiae librum (3, 1, 32; 12, 38) portae gregis nullibet mentio fit. Non desunt tamen auctores, qui putant eam identificandam esse cum porta Benjamin (Jer. 37' 13; 38, 7; Zach. 14, 10). Cf. Fonck, art. Jerusalem, loc. cit., 690 (sub 2); Dalmat, op. cit., 116.

⁴²⁾ Ita, ex. gr., Hagen, Atlas Biblicus, tab. 22. Gute, Bibelatlas, tab. 7, I. Dressaire, op. cit., 161; Dalmat, ibidem, 71, 115' 176; Kittel, op. cit., 623; Fonck, loc. cit.

⁴³⁾ Cf. Jo. 5, 2: ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ... Cf. Dalmat, ibidem, 176.

⁴⁴⁾ Cf. Kittel, ibidem, 623; Dalmat, ibidem, 115, 176.

⁴⁵⁾ Relate ad quaestionem, utrum murus, quo latus septemtrionale areae templi cingebatur, uti distinctus a boreali tractu moenium considerandus sit, necne, inter auctores non constat. Gute (Bibelatlas) distinctionem

sitam fuisse ex comparatione Zach. 14, 10 cum Jer. 31, 38 facile deduci potest, cum certum sit turrim Hanan'el portam piscium et portam anguli versus in eodem ac porta gregis muri tractu sitam fuisse.

Ex Neh. 2, 8 (comp. etiam 7, 2), in quo versu aliquod „castellum ad templum pertinens“ (Kittel⁴⁶) commemorari videtur, nullum deduci potest solidum argumentum in favorem sententiae, quod porta gregis in boreali moenium tractu sita erat. Nam abstrahendo a falso, ut nobis videtur, supposito hoc in verso de aliquo castello distincto a templo sermonem esse, ex eo solo, quod castellum in aliqua relatione cum templo fuisse supponitur, non sequitur turrim Hanan'el portam fuisse huius castelli vel immo ipsum castellum⁴⁷). Castellum, quod in Neh. 2, 8 commemorari videtur ad aquilonem areae templi a Nehemia (vel ab Azaria rege, uti Procksch⁴⁸ vult) aedificatum esse, et quidem eo in loco, ubi tempore Machabaeorum Hyrcanus (135—105) arcem construxit (Flav. Jos. Ant. XVIII 4, 3; cf. XV 11, 4), quam postea Herodes Magnus magis munivit Antoniamque appellavit, gratis asseritur. Castellum, quod iam v. 2, 8 a Nehemia commemorari videtur, non esse aliud nisi ipsum templum clare apparet, uti Dalman⁴⁹) notat ex comparatione Neh. 2, 8; 7, 2 cum 1 Chron. 29, 1, 19. His enim in duobus ultimis locis vox בֵּיתה ipsum templum significat. Lamed autem, quod in Neh. 2, 8 ante בֵּית legitur, adhibetur uti 2 Chron. 28, 15; Esdr. 1, 5; 1 Reg. 8, 38; 2 Reg. 12, 6; Jer. 1, 18; 19, 13; 20, 4; Gen. 9, 10; 23, 10 in sensu 3 „explicativi“⁵⁰).

2. Porta Piscium.

A turre Hanan'el occasum solis versus⁵¹) secunda porta piscium nominatur 3, 3. Appellatio haec probaliter hac ex ratione ei immittit. Dalman (cf. tab. in fine vol.) et Procksch (loc. cit., 16) contrarium defendant opinionem. Cf. infra, p. 31, 33, 34, 38.

⁴⁶) Ibidem, 617; sic. communiter ab auctoribus verba הבירה אשר לבייה interpretantur. Cf. Procksch, ibidem, 16, 35.

⁴⁷) Contra Kittel, ibidem, 623.

⁴⁸) Ibidem, 35.

⁴⁹) Ibidem, 115, n. 1.

⁵⁰) Verba 2, 8: הבירה אשר לבייה igitur vertenda sunt: „Palatium, id est templum“.

⁵¹) Inter auctores tamen non constat, utrum septentrionalis moenium tractus inter portam gregis et portam piscium in linea recta (Dalman,

posita est⁵²⁾, quia mercatoribus piscium ab ore maris in urbem venientibus (cf. Neh. 13, 16) aditum praebebat ad forum rerum venalium (cf. Soph. 1, 11⁵³⁾.

Porta piscium, uti ex 2 Chron. 33, 14 patet, iam tempore Manassis († 643) exstebat. Quae porta cum in Soph. 1, 10 una illo urbis districtu commemoretur, qui Neh. 11, 9; 2 Reg. 22, 14; 2 Chron. 34, 22 „altera (= duplex) Jerusalem“⁵⁴⁾ appellatur, probabiliter sita erat in muro, quo haec urbis pars cingebatur⁵⁵⁾. Cum altera ex parte constet portam piscium ad occidentem a porta gregis sitam fuisse, haud improbabiliter concluditur, quod in eodem cum porta gregis boreali muri tractu supponenda est. In hac suppositione omnes recentes auctores conveniunt.

Cum autem spatium, quo porta piscium a turre Hanan'el separabatur, non indicetur, varii auctores varium situm ei assignant. Iis ex auctoribus, quibus Jerusalem iam ante Nehemiam collem occidentalem occupasse persuasum est, putant portam piscium ibi collocandam esse, ubi Tyropoeon in urbis ambitum intrabat (Hagen, Guthe, Dalman, Benzinger et multi alii). Qui autem contrariam propugnant sententiam (Germer-Durand, Kittel, Dressaire), portam piscium in colle orientale, et quidem aut ad angulum occidentalem (Kittel) aut in medio muri, qui urbem ab aquilone cingebat (Dressaire)⁵⁶⁾, sitam fuisse opinantur.

Dressaire) constructus fuerit, an in linea curva (Hagen, Guthe). Comparando varias inter se tabulas, quibus hi auctores ambitum urbi ex tempore Nehemiae delineare tentant, clare appareat, quod ea, quae hac de re tradi solent, quam maxime hypothetica sunt. Cf. hac de re infra, p. 209 sq.

⁵²⁾ Quae porta adhuc commemoratur Neh. 12, 38; 2 Chron. 33, 14; Soph. 1, 10.

⁵³⁾ Cf. Dalman, op. cit., 111; Procksch, loc. cit., 27.

⁵⁴⁾ Hebr. נִירָא. Cf. etiam Neh. 3, 9, 12, ubi innui videtur Jerusalem tempore Nehemiae saltem duos districtus habuisse. Cf. infra, p. 209 sq.

⁵⁵⁾ Quousque occasum solis et meridiem versus hic districtus sese extenderit, non constat. Ii auctores, qui Jerusalem iam tempore Salomonis collem occidentalem occupasse opinantur, ut secundum districtum hanc urbis partem considerant, quae inter „primum“ (ex tempore Davidis et Salomonis; cf. Guthe, Bibelatlas, tab. 3, II) et „secundum“ (ab Ezechia et Manasse constructam; cf. Guthe, ibidem, tab. 4, II), uti appellari solent, murum in latere boreali comprehendebatur. Cf. infra, p. 186 s., quae relate ad „murum latum“ dicta sunt.

⁵⁶⁾ Opinio Dressaire nobis praferenda esse videtur huic ab Kittel proposita (op. cit., 623).

3. Porta Yešanah.

Sequens, quae commemoratur porta (3, 6), hebraice שער הישנה appellatur. Nomen huius portae multiplicem interpretationem accepit. Communiter vertitur „porta antiqua“. Cum autem apud Nehemiam שער ut nomen masc. generis adhibetur, haec versio admitti nequit. Neque admitti potest modus, quo Bertholet⁵⁷⁾ difficultatem solvere vult. Secundum eum nomen huius portae ut eclipticum considerandum et ante הישנה aliquod substantivum ut עיר (urbs), ברכה (piscina) aut חומת (murus) subintelligendum esset. Eodem modo etiam Dalman⁵⁸⁾ difficultati paret. Nam supponendo portam in quaestione identicam esse ea cum porta, quae Zach. 14, 10 הראשון appellatur, Dalman vertit „porta muri antiqui“. Vincent⁵⁹⁾ lectionem Pes. (דתרכז) sequens loco legit המשנה legit (= porta districtus secundi). Cum aliae versiones autem lectionem textus massoretici presupponant, lectio Pes. primitiva esse non videtur. Quapropter explicatio a Kittel⁶⁰⁾ proposita adoptanda esse nobis videtur. Secundum Kittel porta nomen suum accepit ab oppido Yešanah, quod ad aquilonem ab urbe Jerusalem situm erat et 2 Chron. 13, 19 commemoratur⁶¹⁾. In favorem huius explicationis et hoc adduci potest, quod, uti in Neh. 3, 7 refertur, ad occidentem huius portae in reconstructione moenium homines ex Gib'eon et Mispah occupati erant. Quas localitates in regione ad septentrionem Jerosolymorum spectante sitas fuisse constat.

Ad situm autem portae Yešanah quod attinet, Kittel censem eam in occidentali muri tractu ad superiorem vallis Tyropoeon partem supponendam esse. Magis determinatum locum ei Dresnaire assignat, qui identificando eam cum porta, quae alibi porta anguli vel angulorum⁶²⁾ appellatur, supponit eam (in colle orientali) prope ad angulum borealem areae templi in occidentali muri

⁵⁷⁾ Op. cit., in hunc locum.

⁵⁸⁾ Op. cit., 236.

⁵⁹⁾ Les murs de Jérusalem etc., in hunc locum.

⁶⁰⁾ Ibidem, 624. Cf. etiam Benzingier, op. cit., 33, qui nulla ad-dita explicatione transcribit nomen portae ex hebr.

⁶¹⁾ Yešanah (nunc 'ayn Sinya) circa 5 km a Bethel (Betin) aquilonem versus. Cf. Hagen, Atlas Biblicus, 66, sub voce Jesana, Guthe, Bibelatlas, tab. 3, C 5.

⁶²⁾ Cf. infra, p. 187.

latere sitam fuisse. Identificatio tamen portae Yešanah cum porta anguli non ab omnibus admittitur.

Sunt quidam auctores (Vincent, Dalman, Procksch)⁶³⁾, qui putant portam Yešanah potius ea cum porta identificandam esse, quae 2 Reg. 14, 13; 2 Chron. 2b, 23 porta Ephraim nominatur. Portam Ephraim tempore Nehemiae extitis omni cum certitudine ex Neh. 8, 16 et 12, 39 sequitur. In favorem identificationis portae Yešanah cum porta Ephraim hoc imprimis adduci potest, quod inter portas sub Nehemia reaedificatas nulla portae Ephraim mentio fit. At hoc — praetermissa hypothesi, quae defendi potest, mentionem huius portae aliquo casu fortuito ex relatione de moenium restaurazione cecidisse — explicari nequit nisi admissa huius portae identitate cum alia porta. Haec explicatio etiam eo confirmari videtur, quod oppidum Yešanah erat oppidum ad tribum Ephraim pertinens⁶⁴⁾. Contra hanc identificationem tamen textus Neh. 12, 39 pugnat. In hoc enim textu de porta Ephraim et Yešanah sermo est ut duabus portis distinctis. Cum mentio portae Yešanah in textu LXX desit, ex hoc capite identificationi propositae nihil obstat⁶⁵⁾.

Ad situm autem portae Ephraim-Yešanah quod attinet, Dalman⁶⁶⁾, unus ex recentissimis huius identificationis propugnatoribus, putat eam in hac urbis parte sitam fuisse, quae ad occidentem a valle Tyropoeon sese extendebat, et quidem ad meridiem et orientem a Golgotha, fere in eo loco, ubi tempore Christi porta a Flavio Josepho *genat* nuncupata⁵⁷⁾ inveniebatur⁶⁸⁾.

⁶³⁾ Loc. cit., 28.

⁶⁴⁾ Etiam nunc temporis aliquae portae duplex nomen habent. Ita Ierosolymis porta a Damasco dicta, quae simul habet nomen arabicum „portae columnae“ (bab el-‘amud), vel porta a Jaffa dicta, quae arabibus potius sub nomine „bab el-halib (hebron) nota est, vel „porta Herodis“, quae etiam nomine „portae florum“ designatur.

⁶⁵⁾ Dalman (op. cit., 236, n. 1) et Procksch (loc. cit., 28) considerant mentionem portae Yešanah in Neh. 12, 39 ut secundariam. Weill, (op. cit., 58, n. 1) bene notat non posse, quod porta Ephraim, si ut prorsus distincta porta considerari deberet, in enumeratione portarum, quae sub Nehemia reaedificatae sunt, omissa sit. Nam secundum 2 Chron. 25, 23 spatium 400 cubitorum portam Ephraim a porta anguli separabat.

⁶⁶⁾ Ibidem, 73 sq.; 236; cf. etiam eius tabulas in fine vol. Cf. etiam Procksch, ibidem, 28.

⁶⁷⁾ Bell. Jud. V 4, 2; N. 146. Fl. Josephus hoc in loco refert a porta *genat* sic dictum murum secundum (ab Ezechia constructum) initium ha-

Non desunt tamen auctores, qui reiecta omni propositi identificatione portae Ephraim cum quacumque alia porta proprium huic portae situm assignant.

4. Porta Ephraim.

Inter hos autores imprimis Guthe⁶⁹⁾ nominari debet. Admissa distinctione inter portam Ephraim et Yešanah Guthe primae situm in sic dicto muro „primo“ (ex tempore Davidis et Salomonis)⁷⁰⁾, secundae autem in sic dicto „secundo“ (ab Ezechia constructo) muro assignat. Cum autem sub Nehemia solummodo murus exterior (= hac in parte „secundus“) reconstructus sit, omissio portae Ephraim mentionis inter portas tunc readificatas secundum hunc auctorem omnino naturalis esset, cum haec porta non pertineret ad murum, de cuius reconstructione in Nehemiae capite tertio mentio fit. Quae explicatio, uti patet, defendi potest.

5. Murus latus.

Portam Yešanah prope ad „murum latum“ sitam fuisse ex 3, 8 sequitur⁷¹⁾. Quid tamen sub hac designatione intelligendum fuisse. Nomen „portae hortorum“ (ex aram. gennat; cf. Dalmān, ibidem, 78) porta *genat* hac ex ratione accepisse videtur, quod abditum ad hortos in suburbio septentrionali sitos praebebat. Aliud explicationis tentamen recenter a Procksch non esset a priori reicienda hypothesis, in qua nomen ΓΕΝΑΘ ut mendosa transcriptio vocis ΙΙΕΝΑΘ = פָנָה consideraretur. Porta *Genat* tunc identificanda esset cum „porta anguli“ (2 Reg. 14, 13; 2 Chron. 26, 9). Quia tamen Procksch nullum affert positivum argumentum, quo probabilitas eius suppositionis demonstraretur, eius opinio ut mere hypothetica nullius est utilitatis.

⁶⁸⁾ Dalmān supponit igitur portam *Genat* ad meridiem et orientem a loco tempore Christi Golgotha dicto sitam fuisse. Secundum eiusdem auctoris opinionem murus a porta piscium per certum spatium occasum solis versus cucurrit, postea versura recti anguli in meridiem sese vertit et ad portam Ephraim iterum versura facta directionem occidentis sumpsit. Cf. tab. in fine voluminis Dalmān.

⁶⁹⁾ Bibelatlas, tab. 7, I.

⁷⁰⁾ Sententia Guthe in hoc ab opinione Dalmān differt, quod primus eorum murum secundum prope ad portam anguli initium habuisse putat, cum secundus supponat hunc murum solummodo ad portam Ephraim. Hac ex ratione piscina birket hammāt el-batrāk, quae Ezechiae ab nonnullis auctoribus attribuitur, secundum Dalmān tempore Nehemiae extra muros sita erat, cum secundum Guthe potius iam ad urbis ambitum pertinere.

⁷¹⁾ Cf. etiam 12, 38. Finis v. 3, 8: „et reliquerunt (יִשְׁכַּן) Jerusalem (הַר־הַבָּהֵד)“ est quam maxime obscurus. Loco

sit⁷²⁾), non constat. Extra Nehemiae librum „murus latus“ nullibi commemoratur. Communiter auctores opinantur „murum latum“ partem fuisse illius muri, quem, uti 2 Chron. 32, 5⁷³⁾ refertur, Ezechias rex instante ex parte Assyriorum periculo „forinsecus“ a muro tunc iam existente exstruendum curavit⁷⁴⁾. His innixi nonnulli auctores coniecturant hunc Ezechiae murum identicum fuisse cum illo, quem Flavius Josephus nomine „secundi muri“ uti a porta *genat* ortum suburbium septemtrionale circumdantem et ad arcem Antoniam deinde transeuntem describit⁷⁵⁾. Quae suppositiones, cum mere hypotheticae sint omnique solido fundamento careant, nihil certum de Nehemiae „muro lato“ affirmari posse clarum est⁷⁶⁾.

6. Turris Furnorum.

Sequens, qui indicatur, locus topographicus est turris furnorum, 3, 11. Nomen suum haec turris probabiliter hac ex ratione accepit, quod in eius vicinia furni⁷⁷⁾ ad coquendos panes inventiebantur. Cum turris furnorum extra librum Nehemiae, in quo bis nominatur (3, 11; 12, 38), nullibi mentio fiat, nihil certum de

„et reliquerunt“ rec. Luc. dicta codicesque 98 et 108 ἔθηκαν habent Quapropter Siegfried, op. cit., in hunc locum, et Vincent, loc. cit., in hunc locum verbum בָּנָה hic uti in Talmude (cf. sab. בָּנָה), sensu „construere, restaurare“ adhibitum esse putant. Loco „latus murus“ LXX lectio nem ἔως (rec. Luc. τοῦ) τοῦ τείχους πλατέως (= בָּנָה) praebent. Similem lectio nem versio Armen. (τείχος τῆς πλατείας) supponit. Pariter S. Hieronymus verbum בָּנָה (= platea) in suo textu hebr. habuisse videtur, cum in Vulg. legatur: „ad murum plateae latioris“. Plateam ad portam Ephraim fuisse ex Neh. 8, 16 constat. Hoc innixi Vincent et post eum Riessler (loc. cit., 349) legunt „usque ad murum plateae“. Sed cum in 8, 16 verbum „platea“ in LXX desit, lectio textus massoretici retinenda esse videtur. Praeter 3, 8 „muri lati“ adhuc 12, 38 mentio fit. Sed neque hic lectio in quaestione ut omnino certa considerari potest (cf. textum LXX).

⁷²⁾ Diversas opiniones vide apud E. Bertheau - V. Ryssel, op. cit., in hunc locum.

⁷³⁾ Cf. etiam Is. 22, 9—11.

⁷⁴⁾ Cf. Fonck, art. Jerusalem, loc. cit., 687 sq; Guthe, Bibelatlas, tab. 3, II; 7, I; 14, II; Hagen, Atlas Biblicus, tab. 22.

⁷⁵⁾ Bell. Jud. V 4, 2; N. 146.

⁷⁶⁾ Cf. Kittel, op. cit., 624; Procksch, loc. cit., 28.

⁷⁷⁾ בָּנָה: cf. Ex. 7, 28; Lev. 2, 4; 7, 9; Is. 31, 9. Nostris adhuc temporibus indigena Syriae populatio, praesertim in Libani regione, furnum ad coquendos panes tannur appellat. Cf. Benzingier, op. cit., 65 (sub 3).

eius situ statui potest nisi quod in proximitate portae vallis sita fuerit⁷⁸⁾.

7. Porta Vallis.

Porta vallis ter in Nehemiae libro commemoratur. Per hanc portam, uti iam relatum est, Nehemias ad moenium inspectionem meridionalis urbis partis profectus est, 2, 13, et inspectione facta domum rediit, 2, 15. Portam vallis circuitum Jerusalem a porta gregis (3, 1) occasum solis versus sequendo post portam piscium (3, 3) et Yešanah (3, 6) sitam fuisse ex 3, 13 deducitur. Extra Nehemiae librum portae vallis solummodo in 2 Chron. 26, 9 mentio fit. Hoc in loco de Azaria rege (789—738) refertur eum portam anguli portamque vallis turribus munivisse. Ex hoc textu sequitur portam anguli distinctam a porta vallis fuisse.

Porta anguli praeter 2 Chron. 26, 9 pluries in s. Scriptura commemoratur. Sic 2 Reg. 14, 13 (= 2 Chron. 25, 23)⁷⁹⁾ de Joas, rege Israel (798—783) dicitur eum sub Amasia, rege Juda (797—789), murum urbis Jerusalem spatio 400 cubitorum (= circa 200 m) destruxisse, et quidem a porta Ephraim usque ad portam anguli. In Jer. 31, 38 uti termini borealis muri tractus novae Jerusalem turris Hanan'el et porta anguli indicantur. A Zacharia⁸⁰⁾ propheta

⁷⁸⁾ Kittel, ibidem, supponit hic agi de furnis ad regium palatium pertinentibus. Sed haec suppositio innititur hac altera, quod porta vallis in valle Tyropoeon ad meridiem areae templi et palatii Salomonis sita erat. Quapropter nil quoad situm turris inde inferre licet. Guthe et Dalmann supponunt turrim furnorum partem portae anguli fuisse (cf. 2 Chron. 26, 9), ita ut Nehemias turrim furnorum commemorando ipsam portam designasset. Haec suppositio, etsi in se possibilis est, ut valde problematica considerari debet. Ex 2 Chron. 26, 9 enim sequitur etiam portam vallis turri (vel turribus) munitam fuisse. Cur tamen in Neh. 3, 13 nulla mentione turris facta nomen portae indicatur! Praeterea notandum est in 3, 12 innui portam vallis (3, 13) aliquo spatio (3, 12) a turre furnorum distasse.

⁷⁹⁾ Hoc in loco mendose loco loco שער הַפְנֵה, ut 2 Reg. 14, 13; 2 Chron. 26, 9; Jer. 31, 38 habetur. In Zach. 14, 10 legitur שׁ הַפְנִים = porta angulorum.

⁸⁰⁾ Cf. Palestine Exploration Fund (= PEF), Annual 1923—1925, ubi situs torcularium regis in tabula Mount Ophel notatus est (circa 20 m a limite meridionali civitatis David, intra muros). Ipse Weill cisternas a se hoc in loco inventas non statim ut torcularia considerabat. Attamen Dalmann (op. cit., 135) non dubitat, quin cum torcularibus a Zacharia commemoratis identificandae sint. Ceterum, quaestio identificationis harum cisternarum non tanti est momenti in re nostra, dum ex modo, quo Zacharias

derestauranda post exilium civitate Hierosolymitana 14, 10 praedita-
citur eam superficiem occupaturam esse inter portam Benjamin,
portam priorem, portam anguli, turrim Hanan'el et torcularia regis.
Torcularia regia ad meridiem in civitate, quae Davidis appellabatur,
probabiliter a Weill annis 1920—1924 inventa sunt. Turrim
Hanan'el ad latus boreale moenium pertinuisse constat. Quapropter
ex comparatis inter se textibus Jer. 31, 38 et Zach. 14, 10 con-
cludi potest, quod porta anguli inter muri tractum borealem et
occidentalem in angulo sita erat.

His statutis explicandum est, cur portae anguli in Nehemiae
libro nulla mentio fiat. Interpretatio huius facti auctores in duos
oppositos campos dividit.

Numero adeptarum praevalet sententia, quae neglecto Nehemiae in hac re silentio ut certum tenet portam anguli reapse tempore Nehemiae reconstructam fuisse. Ad mentem horum auctorum, quibus Hagen, Guthe, Procksch adnumerandi sunt, silentium Nehemiae omissioni attribuendum esset. Vix suspicentes aliam explicationem possibilem esse unanimiter portae in quaestione simul cum turre furnorum⁸¹⁾ situm assignant fere eo in loco, ubi hodierna porta a Jaffa dicta invenitur. Locum hunc iis adiunctis correspondere, in quibus porta anguli in supra citatis textibus sita fuisse supponitur, nemo est, qui negare audeat, si aliunde constaret portam anguli re ipsa sub Nehemia reconstructam esse portamque Yešanah, uti hi auctores asserunt, iam trans Tyropoeon in occidentali urbis parte situm habuisse. Attamen de his minime constat.

Ad portam vallis autem quod pertinet, iidem auctores unanimiter censent eam a descensu in vallem Hinnom nomen suum

torcularia regis turri Hanuel opponit, constet torcularia ad meridiem circuitus urbis querenda esse.

⁸¹⁾ Cf. supra, 188, n. 78 — Sunt auctores, qui omissionem portae anguli mentionis inter portas sub Nehemia reaedificatas hoc modo explicandam esse putant, quod porta in quaestione in cap. 3 propterea non nominatur, quia intra limites sectionis, quae moenium reparandi causa hac ex parte dilimitata est, sita erat. Quae explicatio tamen nobis non facile admittenda esse videtur, cum in Nehemiae relatione de moenium reconstructione portarum specialis mentio fieri soleat, uti ex comparatione 3, 11—12 cum 3, 1, 3, 6, 13, 14, 15 patet. Praeterea et hoc notandum est portae anguli ne in relatione de moenium portarumque dedicatione (c. 12) quidem mentionem fieri.

accepisse ideoque ad marginem huius vallis collocandam esse. Quae deductio tamen solidis fundamentis caret. Nam praeter vallem Hinnom Jerosolymis altera vallis (גִּיא), Tyropoeon, adest. Si supponitur portam in quaestione ad hanc potius vallem sitam fuisse et, propterea ab ea nomen suum accepisse, argumenti horum auctorum tota ratio evanescit. Certe, ex Jer. 2, 23 constat⁸²⁾ vallem Hinnom (= er-rababe) sub designatione „vallis“ per excellentiam tunc temporis notam fuisse. Num tamen ex hoc inferre licet vallem Tyropoeon dictam non exstisset? Textus autem Jos. 15, 8; 18, 16⁸³⁾, quos hi auctores in favorem suaे sententiae allegare solent, sunt ambiguī⁸⁴⁾, ita ut nihil ex eis in re nostra inferre liceat. Quae cum ita sint, nonne saltem ut possibilis admitti potest opinio, quae supponit portam vallis nomen suum accepisse non a valle Hinnom, sed a valle Tyropoeon? At si quis hoc fieri posse negare vellet putans vallem, a qua portae in quaestione nomen derivatum sit, identificandam esse cum valle Hinnom, et tunc non necessarie sequeretur portam vallis revera et ad huius vallis (= Hinnom) marginem sitam fuisse. Nam ne in hac suppositione quidem impossibilis esset hypothesis portam in causa propterea sic appellatam esse, quia, quamquam non immediate ad hanc (= Hinnom) vallem adiaceret, tamen facilem — etsi non unicum — aditum ad eam (= vallē Hinnom) praebebat⁸⁵⁾. Quod autem contra hanc suppositionem a Dalman⁸⁶⁾ obicitur, nullam vim habet, quia nomina portarum non semper ab adiunctis loci regionisque, in quibus sitae sunt, derivantur.

Quibus non obstantibus quam plurimi auctores recentes ex nomine portae vallis deducunt eam ad marginem Hinnom sitam fuisse. His admissis alii alium tamen situm huic portae assignant.

Sunt auctores, qui eam non longe ad meridiem ab hodierna porta a Jaffa dicta, qnam locum pristinae portae anguli occupare ut certum tenent, sitam fuisse opinantur⁸⁷⁾. Quae sententia tamen

⁸²⁾ Cf. tamen H. Vincent, *Jérusalem antique*, 1912, 124—134.

⁸³⁾ Cf. Vincent, op. cit., 111—118.

⁸⁴⁾ Cf. Weill, op. cit., 20, 99.

⁸⁵⁾ Cf. Alt, *Das Thal tor von Jerusalem*, loc. cit., 88.

⁸⁶⁾ Op. cit., 137.

⁸⁷⁾ Ita Schick, *Das Thal tor etc.*, Vincent, *Les murs de Jérusalem etc.*; Fonck, loc. cit., 690—691; Hagen, *Atlas Biblicus*, tab. 22. — Quae sententia olim communis erat; cf. W. Kraft, *Die Topographie Jeru-*

vix defendi potest. Nam ex Neh. 3, 13 sequitur portam vallis intervallo 1000 cubitorum (= 450 m) a porta stercoris distasse. Cum altera ex parte communiter admittatur portam stercoris ad exitum vallis Tyropoeon sitam fuisse, distantia autem ab hoc loco usque ad portam a Jaffa dictam multo superet intervallum 1000 cubitorum, manifestum est situm portae vallis magis ad meridiem supponendum esse.

Quapropter nunc temporis plerumque censem auctores⁸⁸⁾ portam vallis identificandam esse ea cum porta, quae a Flavio Josepho⁸⁹⁾ „Essenorum“ appellatur quaeque ab eo prope hanc urbis partem commemoratur, quae tunc Βηθσώ (aliter Βηθσοῦ) audiens. Revera in latere meridionali prope ad angulum austro-occidentalem antiqui muri annis 1894—1897 reliquiae alterius portae ab Anglis inventae sunt⁹⁰⁾. Etsi verisimile sit reliquis hoc in loco inventas non adeo antiquas esse, ut Nehemia temporibus attribui possint⁹¹⁾, nonnulli tamen auctores non dubitant, quin porta vallis in hoc fere loco supponenda sit⁹²⁾.

Ex situ tali modo portae vallis assignato nullum deduci posse certum argumentum in favorem sententiae, quod iam tempore Nehemiae una cum colle orientali collis occidentalis moenibus includebatur, clarum est. Nil mirum deinde, quod non desunt auctores qui contrariam propugnant sententiam. Via autem, qua suam opinionem probabilem reddere conantur, haec est.

Cum porta anguli inter portas a Nehemia reaedificatas non nominetur, quidam auctores⁹³⁾ eam identificandam esse cum porta Yešanah putant. Portam Yešanah autem secundum hos auctores in occidentali muri tractu ad ipsum introitum Tyropoeon in urbis

salems, 1846; E. Bertheau, op. cit. (1862); Zimmerman, op. cit. tab. IV; recenter (1929) hanc opinionem I. Vandervorts, op. cit., 206, proposuit.

⁸⁸⁾ Cf. Benzinger, op. cit., 33.

⁸⁹⁾ Bell. Jud. V 4, 2; N. 145: ἡ Ἐσσηνῶν πόλη.

⁹⁰⁾ Cf. F. J. Bliss and A. C. Dickie, Excavations at Jerusalem (1894—1897), 1898.

⁹¹⁾ Benzinger, ibidem, notat reliquias portae a Bliss hoc in loco inventas certo esse Nehemiae temporibus posteriores. Weill, La cité de David, 75 (comp. tab. in p. 7), putat eas ex temporibus Romanorum esse.

⁹²⁾ Cf. Guthe, Bibelatlas, tab. 7, I; Procksch, loc. cit., 27; Stade, op. cit., 2, 165; Weill, op. cit., 67; Dalmat, op. cit., 136 sq. et tab. in fine vol.

⁹³⁾ Germier-Durand et Dressaire praesertim.

ambitum sitam fuisse iam commemoravimus⁹⁴⁾. Talem situs assignationem indicationibus variorum textuum, in quibus portae anguli mentio fit convenire notari sufficiat⁹⁵⁾.

Ad portam Ephraim (Neh. 8, 16; 12, 39) autem quod pertinet, iidem auctores opinantur eam identificandam esse cum porta vallis. Cum ex Reg. 14, 13 (= Chron. 25, 23)⁹⁶⁾ constet portam Ephraim (= porta vallis) intervallo 400 cubitorum distasse a porta anguli (= porta Yešanah), hi auctores portae vallis situm ad latus orientale vallis Tyropoeon assignant, et quidem circa 200 m ad meridiem a porta Yešanah (= anguli) in eodem occidentali moenium tractu.

Contra hanc identificationem nihil deduci potest ex nomine portae Ephraim⁹⁷⁾. Nam ex nomine huius portae nil aliud sequitur, nisi quod porta in quaestione sita erat ad viam quae in terram Ephraim directa erat. Atqui hoc in casu sat clare innuitur eo, quod porta Ephraim ad eam viam sita fuisse supponitur, quae per vallem Tyropoeon in borealem Jerosolymorum regionem usque ad Yešanah ducebat. Oppidum Yešanah autem ad tribum Ephraim pertinuisse notum est⁹⁸⁾.

Attamen et haec sententia non omni difficultate maior est. Eius infirmitas in eo consistit, quod suppositione portam Ephraim cum

⁹⁴⁾ Supra, p. 187 sq.

⁹⁵⁾ In hac hypothesi silentium Nehemiae de reaedificatione portae anguli omnino naturale esse evidens est.

⁹⁶⁾ Cf. supra, p. 187.

⁹⁷⁾ Contra Procksch (loc. cit., 25), qui ex 2 Reg. 14, 13 (= 2 Chron. 25, 23) probare vult portas anguli et Ephraim ad partem occidentalem septentrionalis muri tractum pertinuisse. Hoc textu innixus Procksch concludit: „Klar ist, dass Ecktor und Ephraimtor in der Nordmauer zu suchen sind, da die Zerstörung des zwischen ihnen liegenden Mauerstücks die Kraft Jerusalems gegen Ephraim brechen sollte“. Idem argumentum etiam a Dalman (op. cit., 84), quamquam minus apodictice, producitur. Nihilominus nobis videtur hoc argumentum omni vi destitutum esse. Nam si haec esset unica ratio regis Joas, propter quam murum Jerosolymorum inter portas anguli et Ephraim distruxerat, non facile intelligeretur, cur non destruxisset totum septentrionale murum? Si autem supponitur portas anguli et Ephraim ad latus vallis Tyropoeon sitas fuisse, haec agendi ratio facilius intelligitur. Vallis Tyropoeon cum hoc in loco non adeo profunda esset, expugnatio urbis hac ex parte non obstante muro lato, quem reges Iuda hic exstruxerant, facilior erat quam ex parte aquilonis. Destruendo hanc moenium partem Joas Jerusalem facile expugnabilem reddere voluit.

⁹⁸⁾ Cf. supra, p. 183 sq.

porta vallis identificandam esse innitatur. Quae identificatio enim textu (hebr.) Neh. 12, 38 excluditur, nisi admittitur duo membra huius versus aliquo casu fortuitu locum, quem primitive obtinebant, mutavisse⁹⁹⁾). Hanc suppositionem defendi posse comparatio textus massoretici cum textu LXX demonstrat. Non obstante tamen hac possibilitate nobis probabilior esse videtur sententia, quae portam Ephraim ut distinctam a porta vallis considerat.

De porta autem vallis recenter Alt¹⁰⁰⁾ tractavit. Sequens ut probabiliorem sententiam, quod Jerusalem ante exilium solummodo collem orientalem occupaverit, Alt ex Nehemiae topographicis textibus confirmationem suae opinionis petit. Secundum eum summi in hac momenti esset determinatio situs portae vallis.

Cuius portae situm Alt imprimis ex Neh. 2, 11—15 determinare conatur. Censens vallem (שׁמֶן), quae v. 2, 15 commemoratur, non cum valle Cedron, ut adhuc communiter admittitur, identificandam esse, sed potius cum valle Tyropoeon, Alt concludit portam vallis non ad vallem Hinnom (er-rababe), sed ad Tyropoeon¹⁰¹⁾ sitam fuisse, et quidem circa 450 m ad septemtrionem ab eius exitum in vallem Cedron.

Etsi ab Alt proposita identificatio vallis in 2, 15 (שׁמֶן) commemoratae cum Tyropoeon (שׁׂׂבָּע) nobis cum Procksch¹⁰²⁾ et Dalman¹⁰³⁾ admittenda esse non videtur, tamen certum est eius sententiam non omni vi carere. Nam Alt¹⁰⁴⁾ in confirmationem suae suppositionis validum argumentum ex eo desumit, quod anno 1927 ad occidentale collis Ophel clivum in valle Tyropoeon ab Anglis

⁹⁹⁾ Verbotenus v. 12, 38 sic vertitur: „Et agmen (chorus) secundum ibat... [v. 38] super turrim furnorum et usque ad murum latum et super portam Ephraim et super portam Ješanah...“ etc. Si porta Ephraim ut identica cum porta vallis consideranda esset, ordo huius sententiae sequens esse deberet: Et agmen secundum ibat... [v. 38] super portam Ephraim et super turrim furnorum et super murum latum usque ad portam Ješanah...“ etc. Cf. textum LXX, ubi v. 39 omissio verbo „porta“ absolute incipit a voce „Ephraim“. Praeterea notetur, quod in hac suppositione textus Neh. 3, in quo porta Ephraim non commemoratur, nullam praebet interpreti difficultatem.

¹⁰⁰⁾ Das Taltor von Jerusalem, loc. cit., 74—98.

¹⁰¹⁾ Ibidem, 93.

¹⁰²⁾ Loc. cit., 26: „Doch wäre die Bezeichnung „nachal“ für das bachlose Stadttal sehr auffällig, da „nachal“ sonst immer das Kidrontal ist.“

¹⁰³⁾ Op. cit., 137.

¹⁰⁴⁾ Loc. cit., 96—97. Cf. etiam eiusdem auctoris: Jerusalems Aufstieg, in ZDMG, 1925, 18 sq.

reliquiae alterius portae turribus munitae inventae sunt¹⁰⁵⁾. Quas reliquias antiquiores esse aetate Machabaeorum earum inventores affirmare non dubitant. Imo relate ad turres hic detectas hi archaeologi putant eas temporibus Nehemiae attribuendas esse. Altera ex parte notandum est hac occasione nulla in valle Tyropoeon inventa esse vestigia, quae indicarent urbem iam ante Machabaeorum aetatem trans Tyropoeon vallem in occidentalem vallem sese extendisse. Cum tamen fossionum superficies hoc in loco peractarum valde delimitata esset et ad ipsum collem occidentalem sese non porrexisset, quaestio de urbis ambitu ut soluta considerari nequit¹⁰⁶⁾. Nihilominus factum ipsum, quod intervallo 430 m (= circa 1000 cubitorum; cf. Neh. 3, 13) a valle Hinnom (= er-rababe) ad marginem Tyropoeon reliquiae alterius antiquae portae inventae sunt, suppositionem ab Alt relate ad situm portae vallis propugnatam quam maxime probabilem reddit. Opinionem ab Alt propositam Kittel suam fecit¹⁰⁷⁾.

8. Porta Stercoris.

Post portam vallis apud Nehemiam porta stercoris¹⁰⁸⁾ commemoratur. Relate ad situm huius portae summi momenti est indicatio v. 3, 13, ex qua sequitur portam stercoris spatio 100 cubitorum a porta vallis distasse.

Hac indicatione innixi ii ex auctoribus¹⁰⁹⁾, qui portam vallis paululum ad meridiem ab hodierna porta a Jaffa dicta sitam fuisse opinantur, porta stercoris ibi quaerendam esse putant, ubi tempore Flavii Josephi porta Essenorum¹¹⁰⁾ inveniebatur. Quae opinio autem merito nunc temporis fere derelicta est.

¹⁰⁵⁾ Cf. I. W. Crowfoot, First Report of the New Excavations on Ophel, in PEF Quarterly Statement, 1927, 143–147; Second Report of the Excavations in the Tyropoeon Valley, ibidem, 178–183; Excavations in the Tyropoeon Valley, ibidem, 1928, 9–27.

¹⁰⁶⁾ Cf. H. G u t h e, art. Jerusalem, in REP³, 8 (1900), 679.

¹⁰⁷⁾ Op. cit., 619.

¹⁰⁸⁾ שער השפט והאשפוז Neh. 2, 13; 3, 14; 12, 31 in 3, 13 autem Relate ad significationem huius nominis, cf. Vincent, Les murs de Jérusalem etc., 60 (n. ad 2, 13); Dalmatian, op. cit., 197 sq.

¹⁰⁹⁾ Cf. supra adn. 87.

¹¹⁰⁾ Cf. supra, p. 191 et n. 89.

Cum probabile esse videatur portam stercoris identificandam esse ea cum porta, quae Jer. 19, 2 „porta fictilis“¹¹¹⁾, Jer. 39, 4; 52, 7; 2 Reg. 25 4 autem „porta inter duos muros“ appellatur¹¹²⁾, omnes auctores, paucissimis exceptis¹¹³⁾, nulla habita ratione opiniois, quam quisque eorum relate ad ambitum urbis sequitur, in eo convenient, quod portae in quaestione situs ad exitum Tyropeon in vallem Cedron attribuendus sit¹¹⁴⁾.

9. Porta Fontis.

Sequens, quae commemoratur, est porta fontis, 3, 15. Portam hanc in vicinia portae stercoris et fontis draconis sitam fuisse in v. 1, 13 innuitur.

Fons Draconis.

Quod fons draconis, 2, 13, cum puto ab indigenis bir eyyub (= puteus Job = fons Rogel)¹¹⁵⁾ nuncupato identificandus sit, auctorum in diem crescens numerus non concedit¹¹⁶⁾. Ex eo, quod bir eyyub non est proprie fons sed puteus nullum contra hanc identificationem, deduci potest argumentum¹¹⁷⁾, cum constet

¹¹¹⁾ Hebr. שער הארץ (Ketib: סות "ש"). Relate ad situm „portae fictilis“ cf. Jer. 19, 14.

¹¹²⁾ שער בין החומות. Relate ad identificationem portae fictilis cum porta inter duos muros una ex parte et portae inter duos muros cum porta stercoris altera ex parte cf. Dalman, ibidem, 206 et 233, 248.

¹¹³⁾ Ex. gr. Germier-Durand et Dressaire. Cf. tabulam apud Dressaire, op. cit., 161.

¹¹⁴⁾ Ita ex. gr. Guthe, Bibelatlas, tab. 7, I; Dalman, ibidem, tab. in fine vol. Procksch, loc. cit., 27; Benzingier, op. cit., 32 sq.; Weill, op. cit., tab. in p. 7. Kitte I, op. cit., 618 (sub nr. 8); Alt, Das Taltor etc., loc. cit., 89–90. Cf. infra, p. 35, 36.

¹¹⁵⁾ עין רג'ל Jos. 15, 7; 18, 16; 2 Sam. 17, 17; 1 Reg, 1, 9 commemo- ratur. Quod fons fulonis, uti plerique nomen eius hebraicum vertit, cum bir eyyub identificandus sit, praeter hos locos etiam ex Flav. Jos. Ant. VIII 14, 4; N. 347 deduci potest, cum hoc in loco a Josepho narretur Adoniam „extra urbem iuxta fontem in horto regio“ convivium parasse. Cf. Dressaire, op. cit., 147 sqq. Puteus bir eyyub (sic nomen arabicum Dalman, op. cit., 163, n. 3. transcrit; quomodo puteus hoc nomen accep- perit, vide ibidem, 163 sqq.) eo in loco situs est, ubi uadi er-rababe cum uadi sitti maryam se jungit.

¹¹⁶⁾ Cf. Guthe, Bibelatlas, tab. 7, I; Weill, op. cit., 21; Dressaire, ibidem; Dalman, ibidem, 137, 164, 166 sq.; Benzingier, op. cit., 34.

¹¹⁷⁾ Contra Fonck, art. Rogel, in Hagen, Lexicon Biblicum, 3 1911, 771.

vocabula fons et puteus a sacris auctoribus permiscue adhiberi¹¹⁸⁾. Quapropter merito derelinquitur illorum auctorum opinio, qui fontem draconis identificandam esse cum fonte Gihon¹¹⁹⁾ (= *a'yn sitti maryam*) putabant.

Alia indicatio, ope cuius situs portae fontis determinari potest, in 3, 15 habetur. Cum hoc in versu porta fontis simul cum piscina aqueductus¹²⁰⁾, horto regis et gradibus „de civitate David“ descendentibus nominetur, concludi potest portam in eorum vicinitate sitam fuisse.

Piscina Aqueductus = Piscina Regis.

Piscina aqueductus eadem esse videtur ac piscina regis¹²¹⁾, ad quam Nehemias in itinere suo nocturno post portam stercoris ac portam fontis pervenerit. Hac appellatione innixi nonnulli auctores haud improbabiliter censem hanc piscinam identifi-

¹¹⁸⁾ Indigena Palaestinae populatio permiscue utitur vocabulis *bir* (puteus) et *naba* (fons); cf. Dressaire, ibidem, 149. Praeterea notandum est *bir* eyyub tempore fortium pluviarum sui generis fontem devenire, cum ad instar fontis superfluam aquam rivulo meridiem versus dimittat. Cf. etiam ea, quae Dalmat, ibidem, 167 sq., relate ad fossiones a Warren (1869) factas affert. — In S. Scriptura autem vocabula fons et puteus permiscue adhibentur: Gen. 24, 11 (puteus); 24, 13, 16, 29 sq., 42 sq., 45 (ubique fons); pariter res se habet in Novo Testamento. Nam puteus Iacobi Jo. 4, 6 πηγή 4, 11 antem φρέαρ (βαθύ) appellatur.

¹¹⁹⁾ Ita Hagen, Atlas Biblicus, tab. 22; Fonck, loc. cit., 771 sq.; Riessler, loc. cit., 348. — Gratus asseritur a quibusdam auctoribus (v. gr. a Brauer, in Ha-Arez, 1929, 259; cf. etiam Benzingier, ibidem, 34) fontem draconis identificandum esse cum aliquo fonte, qui tempore Nehemiae ad meridiem urbis situs incolis aquam suppeditabat, nunc vero iam non existente.

¹²⁰⁾ בְּרִכַת הַשְׁלָחָה, LXX κολυμβήθρα τῶν κωδίων (= pellium ovillarum), Vulg. piscina Siloe (= πᾶλσα?; cf. Is. 8, 6: πᾶλσα μι, τὸ Σιλωάμ). Vox πᾶλσα significat aquae ductum, specum. Vocalisatio tamen huius vocis dubia est, cum Is. 8, 6 potius *šiloah* occurrat. Cf. etiam Ez. 31, 4 חַדֵּשׁ (fortasse γῆπᾶλσα legendum?), Jo. 9, 7, ubi natatoria Siloe commemoratur, ἡ κολυμβήθρα τοῦ Σιλωάμ, ὁ ἐρμηνεύεται ἀπεσταλμένος. Cf. Weill, ibidem, 61 sqq.; Dalmat, ibidem, 190 sq.

¹²¹⁾ 2, 14 בְּרִכַת המֶלֶךְ, בְּרִכַת המֶלֶךְ τοῦ βασιλέως; Vulg. tamen: aqueductus (*šelah* vel *šiloah*?) regis. Cf. Dalmat, ibidem, 190; Weill, ibidem, 61; Fonck, art. Jerusalem, loc. cit., 679; Kittel, op. cit., 618; Benzingier, op. cit., 35 (sub nr. 10); Dressaire, ibidem, 243.

candam esse cum illa, quam secundum 2 Reg. 20, 20¹²²⁾ rex Ezechias construendam curavit. Apud Is. 22, 11 autem refertur tempore Ezechiae „inter duos muros“ piscinam¹²³⁾ extructam esse hunc in finem, ut aquam piscinae veteris reciperet. Loci autem „inter duos muros“ siti praeterea 2 Reg. 27, 4; Jer. 39, 7; 52, 7 mentio fit occasione huius portae, quam probabiliter cum porta stercoris identificandam esse et ad exitam Tyropoeon sitam fuisse iam commemoravimus¹²⁴⁾). Revera hoc in loco annis 1894—1897 ab Anglis¹²⁵⁾ vestigia alterius duplicitis muri delecta sunt, quo exitus Tyropoeon obstructus esse videtur¹²⁶⁾). Quapropter quidam auctores non dubitant, quin hoc in loco „lacus“, qui Is. 22, 11 tempore Ezechiae extractus commemoratur, supponendus sit. Cum autem apud Nehemiam occasione piscinae regis = aqueductus nulla duplicitis muris mentio fiat, concludi potest eum aliam piscinam quam „lacum“ ab Isaia commemoratum hoc nomine designasse.

Ex Is. 22, 11 sequitur praeter „lacum“ Ezechiae piscinam „veterem“ exstisset. Cum nova piscina hunc in finem exstructa esse dicatur, ut aquas „veteris“ reciperet, inferre licet „piscinam veterem“ magis ad aquilonem sitam fuisse ideoque cum birket elhamra (= piscina rubra) identificandam esse¹²⁷⁾.

Piscina Facta.

Intervallo 80 m a birket el-hamra alia adhuc invenitur piscina, quae hodie birket vel a'yn silyan¹²⁸⁾ vocatur quaeque pariter regi Ezechiae adscribitur. Hoc enim nomine designatur illa piscina,

¹²²⁾ Hoc in loco Ezechias laudatur, quod piscinam (*הברכה*) et „aquaeductum“ (sic Vulg.; LXX τὸν ὑδραγωγόν; textus massorcticus: *הַעֲלָתָה אֶחָת* = canalis, aqueductus) fecerit et aquas in civitatem (*הַעִירָה*) introducerit.

¹²³⁾ מִקְוָה, LXX ὁδῷρ, Vulg. lacus. Cf. Weill, op. cit., 57.

¹²⁴⁾ Supra, p. 194.

¹²⁵⁾ Cf. Blin, op. cit., 96 sqq.; Dalmann, op. cit., 189.

¹²⁶⁾ Cf. H. Gressmann; Altorientalische Bilder zum Alten Testamente², 1927, tab. CCXXXIV, 626: Die Siloateiche und die Doppelmauer; Weill, ibidem, tab. p. 120 et 7; Dressaire, op. cit., tab. p. 163.

¹²⁷⁾ Cf. Dalmann, ibidem, 189 sq.; Weill, ibidem, 57; Procksch, loc. cit., 30 sq.

¹²⁸⁾ Cf. Dalmann, ibidem, 190; Gressmann, op. cit., tab CCXXXIV et 174 sqq.; Fonck, art. Siloe, in Hagen, Lexicon Biblicum, 3, 1004 sqq.

in qua ostium australe illius canalis subterranei invenitur, qui a fonte graduum (*a'yn umm el daradj*) extra murum antiquum in clivo collis Ophel decurrens, deinde sub muro civitatis David ambitum intrans usque ad piscinam Siloe Jo. 9, 7¹²⁹⁾ commemoratam inter omnes constat. Hoc in loco iam tempore Ezechiae piscinam existisse communiter ab auctoribus admittitur, cum una ex parte in Ecclci 48, 19 (gr. 17)¹³⁰⁾ Ezechias laudatur, quod in civitatem (David) aquam ex Gihon (cf. LXX) introduxit ferroque rupem foderit, altera autem ex parte ad ostium canalis, qui in hac piscina ad finem perducitur, anno 1880 reperta sit famosa illa inscriptio¹³¹⁾, in qua breviter narratur, quomodo hic canalis e rupe excisus sit.

Quae cum ita sint, inter auctores non constat, utrum Nehemiae piscina regis vel aqueductus cum birket el-hamra, an potius cum birket siluan identificanda sit¹³²⁾. Quia autem praeter piscinam regis vel aqueductus a Nehemia adhuc alia piscina¹³³⁾, nempe ea, quae „grandi opere constructa“ est, prope sepulcra David et domum militum commemoratur (3, 16), nobis probabilius eorum videtur opinio, qui piscinam regis¹³⁴⁾ cum birket el hamra identificandam esse putant.

Hortus Regis.

Quoad hortum regis, 3, 15, autem quod pertinet, eius situs ex 2 Reg. 25, 4; Jer. 39, 4; 52, 7 determinari potest. In his textibus enim occasione fugae regis Sedeciae mentio fit viae, quae ex civitate Jerichuntem versus per portam inter duplicem murum¹³⁵⁾

¹²⁹⁾ ἡ κολυμβηθρα του Σιλωάμ (cf. Luc. 13, 4). Apud Flav. Jos. piscina Siloe (Σιλωάμ) ut fons (πηγή) designatur (cf. locos citatos apud Fonck, loc. cit., 1005).

¹³⁰⁾ Cf. etiam 2 Chron. 32, 30.

¹³¹⁾ Cf. M. Lidzbarski, Kanaanäische Inschriften, in Altsemitische Texte, 1, 1907, 9 sq.; Benzing er, op. cit., 180 sq.

¹³²⁾ Cf. Fonck, art. Jerusalem, loc. cit., 679; Guth e, Bibelatlas, tab. 7, I et 14, II.

¹³³⁾ Neh. 3, 16: הַבְּרִכָה הַשׁוֹרֶת; LXX: κολυμβηθρα ἡ γεγονία; Vulg.: piscina, quae grandi opere constructa est.

¹³⁴⁾ Etiam „piscina rubra“ (birket el-hamra) canale cum fonte *a'yn sitt maryam* coniuncta erat. Qui (antiquior) canalis tamen (ex parte) apertus et brevior erat. Cf. We ill, op. cit., Planche I, Canal II; Gressmann, op. cit., 175 („Kanal Schick“); Dalm an, op. cit., 191; Benzing er, ibidem, 35 (sub nr. 10); Procksch, loc. cit., 32.

¹³⁵⁾ Cf. supra, p. 194 et 197.

et per hortum regis ducebat. Cum situs portae „inter duos muros“ ad exitum Tyropoeon supponendus sit, hortum regis extra urbis moenia in valle Cedron situm fuisse clarum est. Hanc regionem utpote in vicinia piscinarum, aqueductuum, putei draconis et fontis facilitatem irrigationis praebuisse ideoquo aptissimam fuisse, ut in hortum converteretur, notari sufficiat¹³⁶⁾.

Gradus de „civitate David“ descendentes.

Gradus autem, qui de „civitate David“ descendebant, praeter 3, 15 apud Nehemiam adhuc 12, 37 (Vulg. 36)¹³⁷⁾ commemorantur. Ex hoc ultimo textu sequi videtur, quod gradus in quaestione ex adverso portae fontis siti erant. Cum autem eis ascendebarunt in „civitatem David“¹³⁸⁾, quae, uti constat, collem ed-dehura (= tergum)¹³⁹⁾ occupabat, concludi potest portam fontis inter meridiem et orientem ad pedem huius collis sitam fuisse.

Re ipsa hoc in loco Weill annis 1913—1814 vestigia alicuius antiqui aditus et ex adverso in rupe reliquias alicuius ascensus detexit, quae cum gradibus et porta fontis in Nehemiae libro commemoratis identificanda esse eorum inventor non absque probabilitate putat¹⁴⁰⁾.

10. Moenium Orientalis Tractus.

A porta fontis murus currebat¹⁴¹⁾ in margine orientali collis ed-dehura iuxta sepulcra David¹⁴²⁾, piscinam Siloe¹⁴³⁾, domum

¹³⁶⁾ Cf. Dalmann, op. cit., 168.

¹³⁷⁾ Textus v. 12, 38 ex parte corruptus esse videtur. Hoc tamen ex versu in quaestione deduci potest, quod agmen non per gradus, qui in civitatem David ducebant, sed per ascensum muri ascendit. Cf. Weill, op. cit., 128.

¹³⁸⁾ Cf. 2 Sam. 5, 7; 1 Chron. 11, 5; 1 Reg. 8, 1; 2 Chron. 5, 2. Cf. Dalmann, ibidem, 129; Weill, ibidem, 5—20; Procksch, loc. cit., 13 sq.

¹³⁹⁾ Sic nunc temporis meridionalis pars orientalis collis (Ophel) appellatur. Cf. Dalmann, ibidem, 127 sqq.; Weill, ibidem, 4 sqq. (= ed-dahura).

¹⁴⁰⁾ Weill, ibidem, 122 sq.; tab. (signis Y et T designata loca) in p. 120.

¹⁴¹⁾ Cf. Weill, op. cit., Planche I.

¹⁴²⁾ דָּוִיד, קָרְבֵּירְוִיד, 3, 16. David 1 Reg. 2, 10

Salomo	"	11, 43	=	2 Chron.	9, 31
Roboam	"	14, 31	=	"	12, 16
Abia	"	15, 8	=	"	13, 23
Asa	"	15, 24	=	"	16, 14
Josaphat	"	22, 51	=	"	21, 1

militum usque ad angulum, qui ex adverso armamentarii¹⁴⁴⁾ inveniebatur.

Locus sepulturae regum Judae probabiliter a Weill annis 1913—1914 inventus est¹⁴⁵⁾. Situs domus militum determinari non potest. Angulus 3, 19 (**וְעַד**) non absque ulla probabilitate ad septemtrionem civitatis David quaeri potest. Eum adhuc ad civitatem David pertinuisse eo innui videtur, quod collis Ophel, qui ab aquilone com colle ed-dehura cohaeret, solummodo in 3, 26 mentio fit.

Weill¹⁴⁶⁾ putat in 3, 19 agi de angulo, quem Azarias rex, uti 2 Chron. 26, 9¹⁴⁷⁾ refertur, simul cum porta anguli et porta vallis turribus munivit. Hoc textu innixus idem auctor censet ad hunc angulum (**וְעַד**) portam anguli (**הַפָּנִים**), de qua praeter 2 Chron. 26, 9 pluries in S. Scriptura sermo est, sitam fuisse. Quae suppositio tamen admitti nequit. Nam ex appellatione portae anguli sequitur eam ad „versuram“ (**פָּנָה** narożnik, coin, Ecke) muri

Joram	2 Reg.	8, 24 =	,	21, 20
Ochozias	"	9, 28		
Joas	"	12, 21 =	"	24, 25
Amasias	"	14, 20 =	"	25, 28
Azarias	"	15, 7 =	"	26, 23
Joatham	"	15, 38 =	"	27, 9
Achaz	"	16, 30 =	"	28, 27

in civitate David sepulti sunt. Ezechias, filius Achaz, non in eodem loco sepultus esse videtur (cf. 2 Reg. 20, 21). Manasses (2 Reg. 21, 18) et Amon (2 Reg. 21, 26) in „horto Ozae“ sepulturam obtinuerunt. Josiae (2 Reg. 23, 30) et successorum eius (2 Reg. 23, 30; 24, 6) locus sepulturae non indicatur. Cf. Weill, ibidem, 35, n. 1. Cf. etiam Ez. 43, 7—9.

¹⁴³⁾ 3, 16: piscina, quae grandi opere constructa est (Vulg.). Cf. supra, adn. 133.

¹⁴⁴⁾ Ultima verba v. 3, 19: „ex adverso ascensus armorum, in angulo“ sunt obscura. Lectiones, quas LXX, rec. Luc., Vulg. praebent, non sunt meliores. Vincent, Les murs de Jérusalem etc., textum corruptum esse putat. Loco **וְעַד** (ascensus) proponit correctionem **וְעַד** (cf. 3, 31 in fine) et vertit: „Levant la salle d'armes (l'arsenal)“. Fortasse tamen **וְעַד** retinendum et **שְׁנָת** ut Is. 8, 22 (cf. Vulg. „armamentarium“) vertendum erit: „ascensus armamentarii“. Comp. Is. 8, 22 cum 1 Reg. 10, 17.

¹⁴⁵⁾ Weill circa 100 m ab limite meridionali collis ed-dehura, iam in ipso clivo orientali collis, plures cavernas invenit, quas ipse Weill (ibidem, 157 sqq., Planches V, XVII—XIX) et alii (Dalmat, op. cit. 135; Procksch, loc. cit., 37) non immerito ut reliquias regum Judae sepulcrorum considerant.

¹⁴⁶⁾ Ibidem, 65 et n. 2.

¹⁴⁷⁾ Cf. supra, 178 sq.; cf. etiam Dalmat, ibidem, 181 sq.

sitam fuisse, cum vox עַזְבָּן, quae et Neh. 3, 19 et 2 Chron. 26, 9 adhibetur, „angulum“ in genere (קָט, l'angle, Winkel) exprimat. Etsi propterea cum Weill admitti nequit portam anguli ex 2 Chron. 26, 9; 25, 23 ad angulum Neh. 3, 19 sitam fuisse, tamen omnino exclusum non est, ut angulus in quaestione ut identicus considerari possit cum illo, quem secundum 2 Chron. 2 Chron. 26, 9 Azarias munivit. Plus autem affirmari nequit, cum in Neh. 3, 24, 25 alii adhuc anguli (עַזְבָּן) commemorentur.

Ab angulo in 3, 19 commemorato murus ducebat iuxta domum summi sacerdotis ad secundum angulum (עַזְבָּן), 3, 20—24. Hoc in loco, cum margo collis magis ad orientem sese verteret, murus hunc sequebatur usque ad „versoram“ (הַנִּפְאָה), 3, 24 (in fine v.), ad quam murus marginem collis constanter sequendo iterum directionem septemtrionalem suscepit¹⁴⁸⁾.

Relate ad 3, 20—25 miram opinionem nuper Procksch eiecit¹⁴⁹⁾. Censens angulum 3, 19 identificandum esse cum angulo austro-orientali areae templi (p. 16), hic auctor contendit in 3, 20—25 descriptionem inveniri meridionalis (vv. 20—21), occidentalis (vv. 22—24) et septemtrionalis¹⁵⁰⁾ muri templi. Opinio Procksch hac suppositione innititur, quod domus summi sacerdotis in vv. 20—21 commemorata ex meridie ad murum areae templi attingerit (p. 16). Non obstante facto, quod in fine v. 21 nullius anguli mentio fit, hic auctor concludit angulum v. 24 inter occidentem et septemtrionem areae templi supponendum esse (p. 16, n. 2). His admissis Procksch deinde ex v. 24 deducit palatium regis, ante quod in atrio carceris turris proeminebat, ad borealem moenium tractum pertinuisse ideoque cum castello, cuius in v. 2, 8 mentio fit, identificandum esse. Ne haec conclusio nimis arbitraria appareret, Procksch vocem ἡγέρα non ad turrim (sic Vulg. „turris excelsa“; LXX autem ὁ ἀνώτερος), sed ad palatium regis refert simul admittendo hac voce innui palatium regis 3, 25 commemoratum, cum ut „superius“ situm designaretur, a „palatio inferiore“ (a Salomone ad meridiem a templo exstructo) distingendum esse (cf. p. 16, 25, 35).

¹⁴⁸⁾ Cf. Weill, op. cit., tab. p. 7; 65 sq.; Dalman, op. cit., 130 sqq.

¹⁴⁹⁾ Loc. cit., 16, 25, 35.

¹⁵⁰⁾ Murum septemtrionalem et orientalem Procksch identicum habet cum moenibus; cf. ibidem, 16.

Ad id autem, quod immediate post, in v. 26, mentio fit collis Ophel¹⁵¹⁾, Procksch minime attendit. Neque mentio armamentarii (Neh. 3, 19), quod uti ipse (p. 35) nota, Isaiae (8, 22) notum erat ut identicum cum famosa illa „domo saltus Libani“, quam secundum 1 Reg. 7, 2—5 Salomo ad meridiem a templo in vicinia sui palatii exstruxit, movet suspicionem huius auctoris suam opinionem tot suppositionibus innixam erroneam esse posse. Quae suspicio eo maior esse deberet, cum ipsi Procksch ignotum non sit¹⁵²⁾ castellum Neh. 2, 8 valde problematicum esse. Nobis tamen constat opinionem eius defendi non posse. Principalis huius ratio est, quod Procksch in septemtrionali moenium tractu castellum statuat, quod secundum nostram opinionem¹⁵³⁾ prorsus non existebat.

Porta Aquae.

Contra angulum 3, 24 inveniebatur in atrio custodiae (= carceris) excelsa (גִּרְעָם) turris, quae ante palatium regis proeminebat, 3, 25. In vicinia huius turris porta aquae sita erat. Quae porta praeter 3, 26 in Nehemiae libro adhuc 8, 1, 3, 16 ad 12, 36 commemoratur. Ante portam aquae spatirosam plateam sitam fuisse expresse 8, 1, 3, 16 notatur. Portam hanc ad clivum collis Ophel¹⁵⁴⁾ supponendam esse pariter expresse notatur, 3, 26. Ceterum, hoc etiam eo innuitur, quod porta ut in vicinia regis sita commemoratur¹⁵⁵⁾. His datis auctores communiter admittunt portam aquae incolis Ophel aditum ad fontem Gihon (אֵין סִתִּים מַרְיָם) praebuisse¹⁵⁶⁾.

¹⁵¹⁾ Secundum ipsum Procksch, loc. cit., 17, collis Ophel = „Südosthügel“. Cf. inferius, n. 154.

¹⁵²⁾ Cf. ibidem, 35.

¹⁵³⁾ Cf. supra, p. 181.

¹⁵⁴⁾ שְׁמֹן propriè collem vel tumorem significat; cf. 2 Reg. 5, 24 (Vulg. vesperi, LXX ἀκτενόν); inscriptionem regis Mešae, i. 22 (לְעַמֶּה הַמִּזְבֵּחַ = murus Ophel urbis Dibani); 2 Chron. 27, 3; 33, 14; Is. 32, 14; Mich. 4, 8. Flav. Jos., Bell. Jud. V, 4, 2; N. 146; V 6, 1; N. 154, et pluries: Ὀφέλ; cf. Fonck, art. Ophel, in Hagen, Lexicon Biblicum, 3, 446. Constat Ophel saltem septemtrionalis pars esse clivi australis collis orientalis inter Tyropoeon et valle Cedron siti et areae templi vicinior. Cf. Weill, op. cit., 18 sq.; praesertim autem Dalmann, op. cit., 123 sq.

¹⁵⁵⁾ Cf. supra.

¹⁵⁶⁾ Cf. Fonck, art. Jerusalem, loc. cit., 691; Weill, op. cit., 66; Dalmann, op. cit., 169, 171 et tab. in fine vol.; Dressaire, op. cit., 161.

Porta Equorum.

Sequens, quae nominatur, est porta equorum, 3, 28. Cuius portae praeterea 2 Reg. 11, 16 (= Chrm. 23, 15) et. Jer. 31, 40 mentio fit. Ex primo loco deduci potest portam equorum inter aream templi et palatium regium, ex secundo autem ad angulum austro-orientale areae templi sitam fuisse.

Sunt auctores, qui censem hanc portam etiam tempore Nehemiae ad murum, quo templum ex circuitu cingebatur, pertinuisse. His auctoribus imprimis Guthe¹⁵⁷⁾ adnumerandus est. Putans aream templi distinctis a moenibus muris circumdatam fuisse Guthe non absque probabilitate opinatur portam equorum ad meridiem in orientali huius muri tractu sitam fuisse. In favorem huius opinionis etiam hoc afferri potest, quod secundum Flavianum Josephum (Ant. XV 11, 5; N. 410) duae meridionales portae ex directione Ophel aditum ad templum Herodis praebebant.

Alii autem auctores, ut Dalman¹⁵⁸⁾ et Procksch¹⁵⁹⁾, supponunt ad aquilonem et solis ortum ab area templi nullas hominum habitationes adfuisse ideoque ex his partibus murum templi distinctum a moenibus urbis non fuisse. Quapropter iidem auctores putant portam equorum ad orientale moenium¹⁶⁰⁾ latus pertinuisse aditumque incolis ex regione Bethaniae et Jerichuntis ad templum praebuisse.

Nobis tamen opinio Guthe praferenda esse videtur. Nam in v. 29 mentio fit Semaiae, custodis.

Porta Orientalis¹⁶¹⁾.

Cum porta orientalis inter portas, quae sub Nehemia reaedificatae sunt, non nominetur, valde probabile est eam ex oriente

Guthe, Bibelatlas, tab. 7, I tamen censem portam aquae potius ad orientalem templi murum pertinuisse. Quae opinio nobis probabilis esse non videtur.

¹⁵⁷⁾ Ibidem, tab. 7, I.

¹⁵⁸⁾ Ibidem, 256, tab in fine vol.; cf. etiam Dressaire, ibidem, 161.

¹⁵⁹⁾ Loc. cit., 16 et 35.

¹⁶⁰⁾ Cf. etiam K. Galli, Die Halle des Schreibers, in PJB 27 (1931), 51—57.

¹⁶¹⁾ Cf. 1 Chron. 26, 12—19 (praesertim v. 17). Notandum est in textu non haberi Semaiam „portam orientalem“ reaedificasse. Quapropter Dalton, op. cit., 254 sq., et tab. in fine vol. perperam ex mentione custodis

urbis aditum ad atrium templi praebuisse¹⁶²⁾). Quadecausa nobis videtur murum areae templi undique distinctum fuisse a moenibus urbis. Ex sola portae orientalis mentione hoc probari nequit, eo minus, quod omnino non constat, utrum inter aream templi et moenium tractum in orientali urbis parte habitationes hominum supponendae sint, necne. Nihilominus nobis difficile admittenda videtur hypothesis, secundum quam templum nullo muro ab habitationibus hominum separatum existens suppomendum esset. Habitationes hominum antem saltem ad meridiem ab area templi exstitisse in textu Nehemiae expresse notatur¹⁶³⁾). Quapropter nobis praferenda videtur opinio Guthe, qui portam equorum ad angulum austro-orientalem areae templi (et aulae regiae) collocandam esse putat¹⁶⁴⁾.

Porta Miphkad¹⁶⁵⁾.

Post portam equorum commemoratur porta Miphkad, 3, 31 (Vulg. 30). Cum praeter hunc locum nullibi amplius huius portae mentio fiat et significatio eius nominis valde obscura sit, nihil certi de eius situ affirmari potest, nisi quod a solis ortu sita fuerit. Cum huius portae nulla fiat mentio in 12, 37 nec in 12, 39 nobis probabilior videtur opinio Guthe¹⁶⁶⁾), qui portam Miphkad orientali muro atrii templi assignat.

Quod porta Miphkad adhuc ad orientalem muri tractum pertinebat, omni cum certitudine ex eo deduci potest, quod solummodo post eam in 3, 31 mentio fit versurae (*פָּנָה*), quae inter orientem et aquilonem in moenium circuitu sita erat. Hanc muri versuram identificandam esse cum illa, ad quam moenia ex di-
huius portae concludit eam sub Nehemia reaedificatam esse et in orientali moenium tractu sitam fuisse. Praeterea notandum est portam orientalem non nominari ratione circuitus moenium occasione eorum dedicationis facti, o. 12.

¹⁶²⁾ Cf. etiam Galling, loc. cit.; Gérmer-Durand, op. cit., 6.

¹⁶³⁾ 3, 26.

¹⁶⁴⁾ Bibelatlas, tab. 7, I. Cf. etiam F o n c k, art. Jerusalem, loc. cit., 691.

¹⁶⁵⁾ תְּקַמֵּת הַעֲרֵשׁ; LXX: πόλη τοῦ Μαφεκαδ; Vulg.: porta judicialis. Quoad significationem vocabuli תְּקַמֵּת cf. 2 Sam. 24, 9; 1 Chron. 31, 13. Guthe: Ratstor, D a l m a n: Aufsichtstor, G e r m e n - D u r a n d: porte du Tribunal.

¹⁶⁶⁾ Bibelatlas, tab. 7, I. Tamen nobis admittenda esse non videtur opinio Guthe, in quantum portam Miphkad (Ratstor) cum porta custodiae (Wachttor Neh. 12, 39 in fine) identificat. De porta custodiae. Cf. infra, p. 206.

rectione boreali occasum solis versus sese dirigebant, eo indicatur, quod descriptio circuitus urbis Jerusalem mentione portae gregis terminatur, 3, 32.

III. Neh. 12, 27—40¹⁶⁷⁾.

In tertio Nehemiae textu topographicō, 12, 27—40, instauratorum moenium dēdicatio describitur. Moenium restaurationem quām maximi momenti fuisse pro securitate civitatis clarum est Quapropter moenibus ex circuitu reaēdificatis eorum dēdicatio magna cum sollemnitate ac festivitate celebrata est. Hunc ob finem ad diem statutam omnes levitae cantoresque Jerosolymas convocati sunt, ut simul cum sacerdotibus omnibusque urbis incolis hymnis et canticis gratias Deo agerent pro opere tam laborioso feliciter ad finem perducto, 12, 27—29.

Ipsa moenium portarumque consecratio a sacerdotibus assistentibus levitis adimpta est, 12, 30. Quae caeremonia in eo consistebat, quod duo agmina¹⁶⁸⁾ in directione opposita moenibus ingredientia circuitum urbis fecerunt, 12, 31.

Locus, a quo haec agmina profecta sunt, non nominatur. Ex comparatione tamen 12, 31 cum 12, 38 una ex parte et 3, 13—14 cum 3, 11—13 altera ex parte deduci potest hunc locum intra spatiū, quo porta stercoris a turre furnorum separabatur, sitam fuisse. Atqui ex Neh. 3, 11—14 constat intra haec duo loca portam vallis collocandam esse. Quapropter magna cum probabilitate concludi potest utrumque agmen a porta vallis profectum esse.

Primum agmen, cui Esdras „scriba“ (v. 36) praefuit, iter faciebat portam stercoris versus (12, 31) via portae fontis (12, 37) usque ad portam aquae (12, 37). Alterum agmen, cui Nehemias praefuit (12, 38), turrim furnorum versus iter faciebat via muri

¹⁶⁷⁾ Quoad criticam textus cf. Vincent, *Les murs de Jérusalem* etc., loc. cit.

¹⁶⁸⁾ Ex 12, 37 sequi videtur utrumque agmen praeter sacerdotes, levitas, cantores, optimates ex media parte populi compositum fuisse. Cum moenia sine dubio non adeo lata essent, ut milia hominum in eis simul ingredi possent, textus v. 37 probabiliter ut corruptus considerandus est. Textum dedicationis moenium pluribus in locis perturbatum esse auctores unanimiter agnoscunt. Cum ratione primi agminis (12, 32) solummodo mediae partis optimatum sermo sit, probabile est populum in duabus partibus in terra secutum esse agmina moenibus ingredientia.

lati, portae Ephraim, portae Yešanah, portae piscium, turrium. Hanan'el et Me'ah usque ad portam gregis (12, 39).

Praeter has portas, quae omnes—porta Ephraim excepta¹⁶⁹⁾—iam in relatione de moenium restauratione occurrerunt, adhuc una in hoc textu prima vice nominatur, nempe

Porta Custodiae¹⁷⁰⁾.

Portae huius mentio fit in v. 38 post portam gregis. Relate ad situm huius portae variae opinione elicite sunt.

Guthe¹⁷¹⁾ eam cum porta Miphkad identicam habet eique situm in orientali areae templi muro attribuit. Qua identificatione admissa Dalman¹⁷²⁾ tamen putat portam in quaestione potius ad angulum septemtrionalem in orientali moenium urbis tractu supponendam esse. In hac sua suppositione Dalman textu Jer. 37, 11—15 innititur. Hoc in loco narratur Jeremiam tempore obsidionis ex parte Chaldaeorum (a. 588) interruptae ex urbe per portam Benjamin egredi voluisse et hac occasione a militibus custodiariis in carcerem missum esse. Cum una ex parte hoc in textu refertur ad portam hanc et milites custodiarios et carcerem adfuisse, altera ex parte autem ex Zach. 14, 10 constet portam Benjamin ad angulum inter borealem et orientalem moenium tractum sitam fuisse, Dalman concludit portam Benjamin cum porta custodiae vel carceris (= Miphkad) identificandam esse.

Quae identificatio tamen ex dupli ratione admitti nequit. Ex eo, quod milites custodiarii in Jer. 37, 11 sqq. ad portam Benjamin commemorantur, nil inferre licet, quia tempore belli, ad

¹⁶⁹⁾ Cf. supra, p. 185. Portae Ephraim Neh. 8, 16; 12, 39; 2 Reg. 14, 13; 2 Chron. 25, 23 mentio fit.

¹⁷⁰⁾ הַתְּמָםָה רַעַשׁ; in LXX totus v. 38 ommittitur; Vulg.: porta custodiae. Atrium custodiae vel carceris prope ad regium palatum situm in Neh. 3, 25 commemoratur. Hoc ultimo in loco LXX habent: ἡ αὔλη τῆς φυλακῆς. Apud Jeremiam carceris 32, 2, 8, 12; 33, 1; 37, 21 (bis); 38, 6, 13, 28; 39, 14 mentio fit. Relate ad situm carceris summi est momenti Jer. 32, 2. Ex hoc versu enim sequitur Jeremiam detentum fuisse „in atrio carceris“, qui ad palatium regis Iuda situs erat“.

¹⁷¹⁾ Bibelatlas, tab. 7, l. Cf. supra, p. 204: Porta Miphkad.

¹⁷²⁾ Op. cit., 140, 234, 250, 254; cf. etiam tab. in fine vol. Notandum tamen est Dalman haesitare, utrum portam custodiae (= porta gregis) in septemtrionali an in orientali moenium tractu supponenda sit. Cf. praesertim 140, 234 et tab.

quod hoc in textu alluditur, ad omnes urbis portas sine dubio custodiae aderant. Carcer autem, in quem Jeremias missus est, non est proprie carcer, sed, uti in fine v. 15 expresse notatur, domus Jonathan scribae¹⁷³⁾). Carcerem ad portas adfuisse ex Jer. 20, 2 deduci potest. Quae deductio tamen in nostro casu nullius est utilitatis, cum domum Jonathan scribae non ad portam Benjamin, sed ad meridiem ab area templi simulque ad orientem ab regio palatio sitam fuisse valde probabile sit¹⁷⁴⁾.

Alia opinio relate ad situm portae custodiae a Weill¹⁷⁵⁾ proposita est. Simiter ac Dalman hic auctor censet portam carceris (vel aliter: custodiae) in orientali moenium tractu supponendam esse. Quam deductionem Weill ex eo inferre vult, quod porta in quaestione ut terminus itineris secundi agminis datur, quod iter in moenibus factum esse expresse in textu notatur. Cum autem haec porta post portam gregis commemoretur, altera ex parte cum huius portae nulla fiat mentio inter portas sub Nehemia reaedificatas, porta carceris - custodiae ei cum porta aquarum identificanda esse videtur.

Ex his opinionibus nulla nobis placet. Portam custodiae ad murum templi districtus pertinuisse ex eo cum Guthe inferre licet, quod nulla huius portae mentio fit inter portas a Nehemia instauratas. Ad ipsum situm autem portae custodiae quod pertinet, nobis

¹⁷³⁾ Textus Jer. 37, 15 non est ex integro critice certus; cf. adnotationes in Kittel, Biblia Hebraica. Nihilominus ex comparatione Jer. 37, 15 cum 37, 20 (cf. 38, 26) una ex parte et 37, 16, 20 cum 37, 18, 21 altera ex parte sequitur commorationem Jeremiae in Jonathan domo duriorum commoratione in carcere stricte dicto fuisse.

¹⁷⁴⁾ Cf. Galling, loc. cit. Galling in favorem suae opinionis in primis textum Jer. 36, 10 sqq. affert. Hoc in loco de Baruch narratur eum Jeremiae iussu in atrio templi, ad introitum portae novae, in cella Gamariae, filii Saphan, „scribae“, ante populum sermones prophetae ex eius volumine legisse. Atqui Saphan, pater Gamariae, cum „scriba“ eiusdem nominis regis Josiae (cf. 2 Reg. 22, 3 sqq.; 2 Chron. 34, 8 sqq.) identicus esse videtur. Ex Jer. 36, 12, 20, 21 sequitur domum „scribae“ in aula regia sitam fuisse. Quam aulam autem ad meridiem areae templi collocandam esse constat. Cum Jer. 37, 15 Jonathan „scriba“ nominetur, Galling non absque probabilitate supponit eum eandem functionem ac Saphan (2 Reg. 22, 3 sqq.) et Elisama (Jer. 36, 12, 20, 21) occupasse ideoque domum „scribae“, quae Jer. 36, 12 uti in aula regia sita commemoratur, cum domo Jonathan, „scribae“, identificandam esse.

¹⁷⁵⁾ Op. cit., 68.

videtur eam in eo muro sitam fuisse, qui aream templi ab atrio custodiae (Neh. 3, 25)¹⁷⁶⁾ et aula regia separabat. Ad hanc portam primum agmen a porta aquae veniens cum secundo agmine a porta gregis veniente se coniunxit, antequam utrumque agmen simul in templi atrium ingressum est (12, 40). Quod si ut termini itineris in moenibus porta aquae pro primo, porta gregis autem pro secundo agmine indicatur, hoc eo explicari potest, quod inter portas has nulla revera aderat porta, quae ex oriente aditum in urbem praebueret. Quapropter, cum gradus ad moenium ascensum inserentes ad latus portarum collocari soleant, probabile est agmina inter suum in moenibus iam ad portam gregis et portam aquae terminasse.

Si nunc ea, quae ex textuum analysi relate ad urbis ambitum deduci possunt, recapitulamur, omnibus bene perpensis nobis probabilior esse videtur opinio eorum auctorum, qui cum Germer-Durand, Alt et Kittel Jerosolymas tempore Nehemiae collem orientalem solummodo occupasse putant Principalis huius praefrentiae ratio est, quod oppositae sententiae defensores portae anguli, quae in Nehemiae libro non commemoratur, distinctum a porta Yešanah situm assignant. Atqui haec distinctio nobis valde improbabilis esse videtur. Nam in hac hypothesi admitti debet turrim furnorum partem constitutivam portae anguli fuisse. Quae suppositio tamen quam maxime problematica est. Nam ex Neh. 3 constat in relatione de moenium restauratione portarum speciale mentionem fieri solere¹⁷⁷⁾. Non minus problematicus est etiam situs, qui ab propugnatoribus distinctionis inter portam anguli et Yešanah primae portae assignatur. Qui auctores enim portam anguli simul cum turre furnorum ibi collocandam esse putant, ubi hodie porta a Jaffa dicta invenitur. Quae suppositio tamen hac altera innititur, quod porta Yešanah iam trans Tyropoeon in occidentali urbis parte collocanda est. Atqui utraque haec suppositio pariter incerta est, cum omni solidi fundamento careat. Imo relate ad portam Yešanah nobis non absque probabilitate ex eius nomine desumi posse videtur portam hanc ad ipsam Tyropoeon vallem collocandam esse, cum constet viam principalem Samariam (= pristina terra Ephraim) versus et nunc temporis ad hanc vallem (ad portam a Damasco dictam) initium capere. Alterum argumentum

¹⁷⁶⁾ Cf. supra adn. 170.

¹⁷⁷⁾ Cf. supra adn. 80; adn. 78.

principale, quod hi auctores in favorem suaे sententiae ex nomine portae vallis desumere solent, decisiva vi caret, cum omnino possibile sit portam vallis nomen suum non a valle Hinnom (er-rababe), sed potius a valle Tyropoeon accepisse ideoque ad marginem huius vallis sitam fuisse¹⁷⁸⁾. Hanc suppositionem non mere hypotheticam esse reliquiae antiquae turribus munitae portae, quae anno 1927 ab Anglis in valle Tyropoeon 430 m ad aquilonem ab eius exitu inventae sunt, demonstrant. Hac reliquiarum inventione quaestio de urbis ambitu soluta non est. Nam adhuc consideranda est hypothesis Jerusalem iam ante Nehemiae tempora valle Tyropoeon in utraque latere moenibus munita in duas distinctas civitates, orientalem nempe et occidentalem, divisam fuisse. Ex eo autem, quod variis in locis S. Scripturae ex tempore, quod exilium antece-debat, pluries ad exitum Tyropoeon vallis „duplicis muri“ mentio fit, nihi contra nostram opinionem deduci potest, cum ob defectum fissionum usque adhuc omnino non constet, ubinam exacte in exitu vallis Tyropoeon hic aenigmaticus „duplex murus“ supponendus sit¹⁷⁹⁾. His dictis nobis concedendum esse videtur ipsum factum, quod conformiter ad indicationem Neh. 3, 13, secundum quam porta vallis a porta stercoris intervallo circa 450 m distabat, reliquiae alicuius antiquae portae in valle Tyropoeon inventae sunt in favorem sententiae eorum auctorum militare, qui extensionem urbis ad collem orientalem coarctant. Quae conclusio etiam hoc corroborari potest, quod nunc temporis ex fissionibus variis in locis Palaestinae peractis constat antiquissimas eius civitates, uti ex. gr. Mispe (Tell en Nasbe, 1 $\frac{1}{2}$ ha), Ai (2 $\frac{1}{4}$ ha), Jericho (2 $\frac{1}{4}$ ha), Ta'anak (5 ha), Megiddo (Tell el-Mutesellim, 5 ha), non magnae extensionis fuisse. Ita de antiquissima Jerosolymorum parte, de „civitate David“, nunc notum est eam superficiem non ampliorem quam 2, 7 ha occupasse. Solus collis occidentalis urbis Jerusalem autem spatium 15 ha praebet¹⁸⁰⁾. Quae cum ita sint, nobis collis orientalis omnino sufficiens fuisse videtur, ut locum et multiplicibus aedificiis a Davide et Salomone exstructis et habitatio-nibus non parvi numeri incolarum praeberet, praesertim cum

¹⁷⁸⁾ Cf. supra, p. 190.

¹⁷⁹⁾ Contra Procksch, loc. cit., 22 sq. Cf. Alt, Das Taltor von Jerusalem, loc. cit., 89.

¹⁸⁰⁾ Cf. H. Vincent, Canaan d'après l'exploration récente, 1907, 27, n. 3; Procksch, ibidem, 16, 17 et n. 1.

aream templi multo minorem actuali fuisse urbemque septemtrionem versus extensionis possibilitatem habuisse constet.

Quoad situm autem singularum portarum hoc nobis admittendum esse videtur. In orientali moenium tractu duae portae collocandae sunt: porta fontis ad meridiem collis eddehura, porta aquae ad marginem collis Ophel aditum praebens in vallem Cedron et ad fontem Gihon (*a'yn sitti maryam*). In boreali moenium latere pariter duae portae sitae erant, nempe porta gregis ad orientalem angulum, porta piscium autem in medio muri spatio. Ex directione solis occasus quattuor portis aditus ad urbem possibilis erat. Quae omnes portae ad vallem Tyropoeon supponendae sunt. Portam Yešanah cum porta anguli, quae apud Nehemiam non commemoratur, identificandam et ad angulum borealem moenium ad superiorem Tyropoeon partem collocandam esse putamus. Porta Ephraim secundum 2 Reg. 14, 13 (= 2 Chron. 25, 23)¹⁸¹⁾ circa 500 m ad meridiem a porta Yešanah sita erat. Porta vallis autem circa 450 m ad aquilonem ab exitu vallis in codem moenium tractu collocanda est. De exacto portae stercoris situ nihil certum affirmari potest, nisi quod ad ipsum exitum vallis Tyropoeon supponendus est¹⁸²⁾). Circuitus hoc modo delimitati longitudo ad 2 km accedit^{183).}

Urbem Jerusalem tempore Nehemiae saltem duos districtus habuisse sat clare Neh. 3, 9, 12; 11, 1 innuitur. Ad meridiem ab area templi et aula regia, in colle Ophel, habitationes hominum adfuisse ex Neh. 3, 20sq eruitur. Praeter hunc principalem districtum alias ad septemtrionem ab area templi supponendus est. Hoc deduci potest ex situ et nomine portae piscium. Hanc portam ad occidentem a porta gregis in septemtrionali moenium latere collocandam esse ex Nehemiae de portis restauratis relatione eruitur. Ex nomine autem portae piscium sequi videtur ad aquilonem ab area templi forum rerum venalium (cf. Soph. 1, 11) exstisset, ad quod forum mercatores piscium (Neh. 13, 16) conveniebant. Cum autem in Soph. 1, 10 portae piscium una cum illo urbis districtu mentio fiat, qui Neh. 11, 9; 2 Reg. 22, 14; 2 Chron. 34, 22 „altera Jerusalem“ appellatur, deduci potest portam piscium ad

¹⁸¹⁾ Cf. supra, 187 sq.

¹⁸²⁾ Cf. supra, p. 209.

¹⁸³⁾ Cf. Germer-Durand, Topographie de l'ancienne Jérusalem, 6.

hunc borealem urbis districtum aditum praebuisse. Relate ad limitem septemtrionalem huius urbis partis hoc nobis dicendum esse videtur, quod districtus hic probabiliter non ultra hanc viam esse extenderit, quae iuxta hospicium communiter Austriacum appellatum orientem versus usque ad portam a S. Stephano dictam decurrit. Ex Jer. 31, 38 et Zach. 14, 10 autem deduci potest turrim Hanan'el in moenium boreali tractu ut punctum maxime ad aquilonem spectans considerandam esse. Quapropter praescidendo a quaestione, utrum hoc moenium latus ut in linea recta an fracta decurrens considerandum sit, nobis hoc statuendum esse videtur quod murus in causa ab angulo (Neh. 3, 31 sq.), qui inter orientem et aquilonem in urbis circuitu situs erat, usque ad turrim Hanan'el non exakte occidentem versus cucurrit, sed potius cum aliqua directionis inclinatione inter occidentem et septemtrionem, ita ut porta gregis minus distaret a templi area quam turris Hanan'el. Quousque occidentem et meridiem versus „districtus alter“ sese extenderit, non constat. Ex Neh. 3, 10 tamen inferre licet ad occidentem ab area templi habitationes hominum adfuisse.

Relate ad aream templi et regiam aulam hoc nobis dicendum esse videtur. Secundum nostram persuasionem templum et regium palatium iam ante Nehemiam undique muris distinctis ab urbis moenibus cincta erant. In favorem huius opinionis haec afferri possunt. Cum certum sit ad septemtrionem, occidentem, meridiem ab area templi habitationes hominum adfuisse, supponi potest Judaeos ob respectum erga domum Dei eius districtum muris undique cinxisse. Quae suppositio eo confirmari potest, quod Neh. 3, 29 mentio fit portae orientalis, quae versimiliter ad templi atrium ex oriente aditum praebebat. Huic templi muro orientali pariter porta Miphkad (Neh. 3, 31) attribuenda esse videtur. Praeter has portas probabiliter adhuc aliae portae praesertim in septemtrionali et meridionali atrii templi latere supponendae sunt. Quoad aulam regiam autem hoc nobis statuendum esse videtur. Aulae regiae districtum ante exilium a meridie ad aream templi adiacuisse constat. Regium palatium tempore Nehemiae exstisset ex 3, 25 (cf. 2, 8) desumere licet. Quapropter nobis non absque probabilitate supponi posse videtur Nehemiam pristinum regium palatium habitandi causa occupasse. Palatium hoc et eius adiacentia aedificia muris cincta fuisse ex eo concludi potest, quod in 12, 39 mentio portae custodiae - carceris fit. Cum in 3, 25 in

relatione cum aula regia „carcer - custodia“ commemoretur, nobis inde inferendum esse videtur portam carceris - custodiae in muro, quo aula regia simul cum domo carceris - custodiae cingebatur et a templi districtu separabatur (cf. 12, 39 sq.), supponendam esse. Portam equorum (3, 28) autem, quae secundum 2 Reg. 11, 16; 2 Chron. 23, 15 cum domo regia Salomonis coniuncta erat, ad angulum inter orientalem et meridionalem murum eiusdem aulae regiae et areae templi sitam fuisse (cf. Jer. 31, 40) censemus.

His statutis necesse non est, ut notetur has conclusiones non ut certas considerandas esse. Controversia enim de ambitu Jerusalem ex tempore Nehemiae dirimi nequit, nisi ope fissionum, quae praesertim ad exitum Tyropoeon vallis et in margine ipsius collis occidentalis instituendae sunt. Quae fissiones, ut quam primum peragantur, ex intimo corde exoptamus.


Jerusalem

W. Gronkowski.

T A B U L A E

Natura regionis, qua Jerusalem superstruitur, topographice delineata.

- = moenia, quibus hodierna **civitas antiqua** cingitur;
- = districtus meridionalis, qui tempore Christi intra moenia situs erat;
- I = area templi (haram eš-šerif);
- II = vallis Tyropoeon (el-uad);
- III = vallis Cedron (uadi sitti maryam);
- IV = viae montem Olivarum (812 m) versus;
- V = mons Scandali (740);
- VI = fons Gihon (a'yn sitti maryam vel a'yn umm el-daradj) in valle Cedron;
- VII = bir eyyub (puteus Job);
- VIII = collis Ophel (in meridionali parte nunc ed-dehura appellatus);
- IX = vallis er-rababe, in superiori parte uadi el mēs appellata;
- X = occidentalis collis, nunc mons Sion appellatus;
- XI = piscina birkat hammam el-batrak;
- XII = Golgotha;
- XIII = situs hospitii Polonorum dicti;
- XIV = porta a Damasco dicta;
- XV = porta Herodis;



- XVI = porta a S. Stephano appellata;
- XVII = porta Davidis in monte Sion;
- XVIII = porta a Jaffa dicta;
- XIX = porta Nova;
- XX = basilica S. Stephani iuxta viam Samariam versus directam; institutum biblicum S. Stephani;
- XXI = proprietas Russorum;
- XXII = via ferrea;
- XXIII = mons Mali Consilii;
- XXIV = hospitium Austriacum iuxta viam Dolorosam.

